DE

FRATRE GUILLELMO PELISSO

VETERRIMO INQUISITIONIS HISTORICO

Thesim

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT
AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

CAROLUS MOLINIER
OLIM SCHOLAE NORMALIS ALUMNUS, PROFESSOR HISTORIAE AGGREGATUS

ACCESSIT EJUSDEM GUILLELMI PELISSO

CHRONICON

E CARCASSONENSI CODICE NUNC PRIMUM
OMNI EX PARTE EDITUM



ANICII
TYPIS L. & R. MARCHESSOU FRATRUM
1880





DE

FRATRE GUILLELMO PELISSO

VETERRIMO INQUISITIONIS HISTORICO

Thesim

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT
AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

Carolus MOLINIER

OLIM SCHOLAE NORMALIS ALUMNUS, PROFESSOR HISTORIAE AGGREGATUS

ACCESSIT EJUSDEM GUILLELMI PELISSO

CHRONICON

E CARCASSONENSI CODICE NUNC PRIMUM
OMNI EX PARTE EDITUM



ANICII

TYPIS L. & R. MARCHESSOU FRATRUM

1880

DE

FRATRE GUILLELMO PELISSO

VETERRIMO

INQUISITIONIS HISTORICO

CAPUT PRIMUM

§ I

De vita Guillelmi Pelisso.

Illud procul dubio magnopere optandum fuisset, non quidem tantum propter studium cognoscendi, in tali re haudquaquam tamen improbandum, imo vero ex necessitate, ut copiosis quodam modo indiciis moneremur, quae fuerit vita scriptoris, de quo disserere suscepimus. Sicut enim, jam procedente nostra commentatione, apparebit, Guillelmi Pelisso opus unicum quod remansit propter hoc potissimum magni momenti videtur, quod ille in narratis a se ipso partes quasdam saepius tenuit civilibusque dissidiis fuit implicatus, quibus, ineunte tertio decimo saeculo, tota Occitania turbata est, ita ut, explanata, si fieri potuisset, auctoris illius vita, de hac simul qua vixit aetate edocti essemus.

Sed longe aliter se res habet, quum de illo tam utili historico, et eodem multorum inquisitorum non segni collega, indicia fere nulla sint aut perobscura. Nam, si qua oblivione non intercepta remansere, ea nullo modo quo tempore scriptor noster natus sit, vel ordinem Fratrum Praedicatorum intraverit, nobis significare possunt. Nec

etiam minus incertum est, quum ille satis diu vixerit, num aliquam dignitatem in ordine beati Dominici sit adeptus, cui paene ab exordiis, ut videtur, associatus fuerat. Quod tamen credibile est, propter illud grande fiduciae testimonium, inquisitoris videlicet munus, quo nonnunquam decoratum fuisse, ipso referente, didicimus.

Quidquid est, haec de vita Guillelmi Pelisso indicia, et eadem, ut jam praenuntiavimus, adeo imperfecta, partim nobis tradidit copiosissimus ille et certissimus historicus, Bernardus scilicet Guidonis, in eo quem de ordine Fratrum Praedicatorum conscripsit libro. Verumtamen, non satis liquet quanam causa tam diligens tamque acri judicio scriptor, rerumque et hominum aestimator optimus, virum ea qua est Guillelmus Pelisso auctoritate parvi, ut ita dicamus, fecerit. Illius enim nomen re ipsa vix referre curavit, quum de vita multorum ejusdem ordinis monachorum fusius disserere non sit dedignatus; quos quidem Guillelmo Pelisso haudquaquam plerosque conferendos, ab oblivione tandem non vindicavit.

Ea autem, quae nobis retulit praecipuus ille ac fere antiquissimus Fratrum Praedicatorum historicus, de impigerrimo ordinis sui religioso, atque haud inter minimos, ut nos arbitramur, tertii decimi saeculi scriptores annumerando, duobus tantum indiciis constant.

Primo enim, ut animadvertit Bernardus Guidonis, Tolosae natus Guillelmus Pelisso triginta circiter vitae suae annos ibidem exegisse videtur, in conventu Fratrum Praedicatorum valde negotiosus. Quod ex ipsius Guillelmi verbis forsitan relatum fuisse judicamus, quum verisimiliter ex historia quadam ordinis sui, quam, ut apparet, conscripserat, tale indicium sit deprometum. De

hac autem historia, nobis sine dubio prorsus deperdita, ulterius pauca exponere non omittemus [1].

Quibusnam vero negotiis Guillelmus Pelisso, testante Bernardo Guidonis, in hoc operis sui quem secuti sumus loco, quindecim annos non minus, dum Tolosae in conventu Fratrum Praedicatorum vitam ageret, impenderit, non satis quidem liquet. Quod si tamen spectemus tale illud indicium a Bernardo Guidonis nobis traditum fuisse, quum de incrementis domus dissereret, in qua tam diu vixisse Guillelmum Pelisso retulimus, haud immerito judicari posse quis recuset, scriptoris nostri operam in hisce incrementis non levem fuisse, nec aliud sane a Bernardo Guidonis fuisse significatum?

Sed non haec tantum de Guillelmo Pelisso historicus ille Fratrum Praedicatorum; quippe qui alterum etiam indicium, videlicet de ejusdem morte, nobis tradiderit. Hanc enim nuntiatam fuisse testatus est, die dominica ante festum beati Augustini (vicesima sexta die augusti), anno 1268 (nov. st.), in concilio provinciali Petragoricensi, notatumque simul Tolosae Guillelmum Pelisso obiisse [2].

1. Vide apud Bernardum Guidonis caput illud cui titulus inscribitur : *De emptione et adquisitione secundi loci Fratrum Praedicatorum Tolosae.* Cujus quidem capitis hunc praecipue locum respeximus : *Hec omnia supradicta scripsit et notavit frater Guillelmus Pelisso Tholosanus, sicut vidit ipse, et quedam ab aliis Fratribus didicit et audivit, et in cartis et instrumentis domus invenit, anno Domini M°. CC°. LXIII°, mense octobri. In qua domo fuit ipse annis XXX, in quibus fuit operarius annis XV sollicitus, laboriosus et non mediocriter fructuosus.* (Bibl. Tolos., ms. 273, serie I^a, f° 115 B.)

2. Bibl. Tolos., ms. 273, serie I^a, f° 306 B. — Guillelmum autem Pelisso sexta die januarii, in festo scilicet Epiphaniae, anno 1268, obiisse, testante ipso Bernardo Guidonis, constat, et a Quétif et Échard, in illa quam Guillelmo Pelisso tribuerunt dissertatione, notatum est. (Vide *Script. ord. Praedic.*, I, 246^b-247^a.) Quod quidem nobis in illo historiae Fratrum Praedicatorum exemplari, Tolosae nunc asservato, non est significatum. De morte enim scriptoris nostri vanam tantum et imperfectam mentionem in illo codice reperimus, hanc videlicet : *Hic obiit Tholose, anno Domini . . .* (F° 115 B.) Sed, sicut a Leop. Delisle indicatum est, quum de Guillelmo

Cujus quidem concilii multorumque aliorum ordinis sui Bernardus Guidonis acta retulit.

Plura autem nec minoris momenti idem nobis suppeditavit de scriptore illo, cujus vitam describere nunc enitimur, nisi Quétif et Échard conjecturam facientibus, non, ut fatendum est, omnino incredibilem, fidem adhibere poeniteat. His enim historicis asserentibus, Bernardo Guidonis tribuendum esse videtur prooemium illud Chronico Guillelmi Pelisso praefixum, nec non pauca illa quae in fine adjecta sunt, ut quidem in recentiori textu, qui nobis servatus est, accepimus [1]. Illa autem duo operis, de quo mox disserendum erit, loca indicia quaedam continent de vita scriptoris nostri. Quae quamvis, uno tantum excepto, incerta satis videantur, non tamen, propter nimium indiciorum hujus modi defectum, nisi cum temeritate omitti posse judicamus.

Priori quidem horum locorum si credamus, comprobatur iterum illud indicium, quod jam, testante Bernardo Guidonis, notandum fuit, videlicet Guillelmum Pelisso Tolosae natum pro certo haberi posse. Accedit etiam ut idem inter primos ordini a beato Dominico constituto associatus sit [2].

Pelisso pauca retulit, in illa dissertatione quam de Bernardi Guidonis manuscriptis codicibus composuit (vide *Notices et extraits des manuscrits,* t. XXVII, 2^e partie, p. 319, note 1), quae in codice Tolosano desiderantur feliciter explevit ejusdem operis exemplar Burdigalae, in bibliotheca publica, repositum, his verbis adjectis : . . . *MCCLXVIII, in festo Epiphanie.* (Bibl. Burdig., n° 780, f° 56 B.)

1. Vide *Script. ord. Praedic.,* loc. cit., ut supra. Prooemium quoque, quod secundae parti Chronici Guillelmi Pelisso praepositum est (vide codicis p. 16), iidem auctores Bernardo Guidonis tribuerunt. Notandum est praeterea eumdem Bernardum Guidonis, sicut etiam testantur Quétif et Échard, Chronici quoddam exemplar juxta codicem autographum propria forsitan manu descripsisse. De hoc vero plura mox dicemus, quum de operibus a Guillelmo Pelisso exaratis disserere aggrediemur.

2. Vide *Chronicon fratris Guillelmi Pelisso,* cod. p. 1. — Hoc autem Chronici loco, quem primum hucusque usurpavimus, inducimur, ut quaedam de scrip-

Per alterum autem locum, Chronico scilicet in fine, ut diximus, subjunctum[1]; tertio patria Guillelmi Pelisso indicatur, quam, quum toties declarata sit, nemo jam in dubio ponere audeat. De hoc quoque, nec prae caeteris minoris momenti, commonemur, scriptorem nostrum rebus a se enarratis plerumque tanquam oculatum testem immixtum fuisse, imo etiam quandoque in iisdem non parvas egisse partes. Mors denique Guillelmi Pelisso, quo loco et tempore acciderit, ibidem memoratum reperimus. Tempus quidem jam nosmet ipsi indicavimus; locum autem modo animadvertimus in actis concilii provincialis, mense augusto, Petrocoriis habiti notatum fuisse.

Haec profecto, quae adhuc relata sunt, indicia nemo, sicut dijudicare facile est, nosque ipsi ab initio indicavimus, copiosa vel etiam magni aestimanda reputaverit. At de vita sua nos forsitan longe melius edocet auctor ipse, de quo nunc disserimus, non quia de se abundantem aut certum prorsus indiciorum fontem aperuerit, ea tamen causa, quod longum illud spatium, ab ingressu suo in ordinem Fratrum Praedicatorum usque ad mortem exac-

toris nostri nomine animadvertamus. Quamvis hic locus formam nominis nobis suppeditet illius qua utimur paululum dissimilem, hanc tamen non dimittendam esse arbitramur, quum ea semper usus sit Bernardus Guidonis, nec aliam adhibeat codex maximae auctoritatis, tertio decimo saeculo exaratus, duorumque celeberrimorum inquisitorum, scilicet Bernardi de Caucio et Joannis de Sancto Petro acta continens (bibl. Tolos., ms. 155, serie I[a]). In hoc enim codice, quoties Guillelmum Pelisso tanquam testem interrogationibus, quae ibidem notatae sunt, adfuisse memoratur, nomen ejus juxta hanc formam conscriptum invenimus, quam nosmet ipsi usurpavimus, aut vix, littera *l* geminata, immutatum. Formam vero ejusdem nominis vulgarem hanc fuisse arbitramur, *Pelisson* videlicet, Chronico ipso indicante. Namque, operis hujus pag. 14, praecentorem quemdam Sancti Stephani Tolosae reperimus, scilicet *magistrum Arnaldum Pelisson,* cujus nomen in latinum non translatum fuisse satis constat.

1. Vide *Chron. fr. Guill. Pelisso,* cod. p. 16.

tum, non omnino vacuum factis reliquerit. Quorum ne unum quidem Bernardus Guidonis referre curavit, etsi ista veram Chronici Guillelmi Pelisso auctoritatem plus quam caetera ostendere videantur, quum eum rebus quas narravit semper implicatum fuisse, sicut jam aliunde novimus, demonstrent.

Indicia illa igitur, quae de se ipso scriptor noster memoriae tradiderit, exponere suscipiemus, sicut in Chronico ejus conscripta sunt, id est, servata temporum serie, nullaque insuper explanatione adjecta. Anno enim circiter 1233, dum Moissiaci duo Fratres Praedicatores, videlicet Petrus Cellani atque Guillelmus Arnaldi, inquisitionem contra haereticos facerent, ipse interea Guillelmus Pelisso atque Arnaldus Cathalani, cui tunc collegam se adjunctum fuisse retulit, duodecim Albiae cives ad *cruces* ac *passagium transmarinum* condemnaverunt[1]. Annis autem post duobus, dioecesim Caturcensem sese una cum Petro Cellani et fratre Pontio Delmont percurrisse, multasque haereticorum confessiones in hac regione recepisse testatur[2].

Hoc etiam anno 1235 exeunte, implicatum se fuisse memoravit rei inter omnes, quas Chronico suo inserere curavit, gravissimae, scilicet, quum, die quinta novembris hujus anni, Fratres Praedicatores, jubentibus Tolosae consulibus, magnaque, ut videtur, populi parte flagitante, urbem deserere coacti sunt. Se nempe cum tribus aliis religiosis a priore Pontio de Sancto Aegidio delegatum fuisse narravit, quosdam haereticos citandi causa, sicut Guillelmus Arnaldi mandaverat, postquam Carcas-

1. Vide *Chron. fr. Guill. Pelisso,* cod. p. 6.
2. Vide ibid., p. 9.

sonam se receperat, ipse Tolosa expulsus. Quod non nisi discrimine vitae fieri posse videbatur, quum a consulibus, proposita morte, prohibitum fuisset, ne quis civem apud inquisitores postulare auderet[1].

Quid postea de Guillelmo Pelisso factum sit, circiter usque ad annum 1268, quo eum e vita cessisse jam indicavimus, ipse nos edocere non potest, quippe qui Chronicon suum non multo ultra annum 1236 produxerit. Hoc tamen feliciter contigit, ut, per codicem quemdam scriptori nostro aequalem eumdemque certissimum, nobis liceat indicia quae superius exposita sunt, quum nimis rara haud immerito reputari possint, quibusdam novis adaugere.

Ab hoc quidem codice, Bernardi de Caucio et Joannis de Sancto Petro per biennium, videlicet annis 1245 atque 1246, acta continente, Tolosaeque in bibliotheca publica nunc asservato[2], jam vera nominis Guillelmi Pelisso forma a nobis assumpta est. Praeterquam, ex eodem indicia quaedam excerpi possunt, nostro saltem judicio, non negligenda, etsi omnia unius generis sint atque inter se simillima.

Per illum nempe codicem de quo agitur fit manifestum, scriptorem nostrum Tolosae, ut credibile est, inquisitoribus supradictis tanquam testem nonnunquam adfuisse, quum haereticorum confessiones reciperent. Hoc quidem nomine, eum Bernardo de Caucio vel Joanni de

1. Vide *Chron. fr. Guill. Pelisso*, cod. pp. 11, 12. — Vide etiam de his, bibl. Tolos., ms. 273, serie I^a^, f° 119 A. Rem enim, ut est enarrata a Guillelmo Pelisso, prorsus comprobat Bernardus Guidonis, eumque tunc a Pontio de Sancto Aegidio delegatum fuisse testatur.

2. Vide de hoc tantae auctoritatis codice dissertationem nostram, quae inscribitur : *L'Inquisition dans le midi de la France au* XIIIe *et au* XIVe *siècle*, parte II^a^, cap. III, pp. 163-195.

Sancto Petro assedisse reperimus, anno 1245, mensibus videlicet martio, maio, junio, julio, novembri ac demum decembri, venientibus in jus quibusdam haereticis aut de haeresi suspectis, diversos circa Tolosam locos habitantibus[1]. Anno autem insequenti, mensibus januario, junio julioque, aliis confessionibus iterum auctoris nostri nomen subscriptum est[2].

Ea profecto de vita Guillelmi Pelisso indicia, quae, suppeditante illo bibliothecae Tolosae codice, retulimus, nemo certissima et exactissima esse non fatebitur[3]. Sunt tamen expressa parum adeoque brevia, ut vere hoc tantum nobis significare videantur, scilicet nondum obiisse Guillelmum nostrum decem annis postquam de se ipso in Chronico suo nos edocuerit. Quod si, una cum multis aliis seu monachis seu sacerdotibus, duobus celeberrimis illius aetatis inquisitoribus demonstretur tanquam testis assedisse, non ideo plane quid eodem tempore egerit commonemur. Nempe quum, undecim circiter annis antea, jam inter religiosos ordinis sui illum innotuisse appareat, ac summum fiduciae testimonium, id est grande

1. Scilicet Mansum Sanctarum Puellarum, Sanctum Martinum de Landa, Vaseiam, Montem Guiscardi, Lauracum, Auriacum, Montem Esquivi, Gardoch, Las Bordas, Gajanum. (Vide bibl. Tolos., ms. 155, serie I[a], ff. 1, 2 A, 6 B-8 B, 16 A-17 A, 22 A, 30 B, 31 A, 31 B-34 A, 59 B, 67 A, 73 A-75 A, 79 B, 90 B-91 A, 92 B, 102 A-103 A, 109-110 A, 110 B-111 A, 114 B, 121 B, 122 A, 122 B-123 A.)

2. Quae quidem confessiones sunt haereticorum tres diversas ejusdem regionis urbes incolentium, scilicet Sanctum Martinum de Landa, Gajanum et Villamsiscle. (Vide ibid., ut supra, ff. 33, 36 B, 41 A, 125 A, 181 A.) Hi autem omnes loci, quos enumeravimus, veteris Occitaniae sunt, recentioribusque Galliae divisionibus intercluduntur, quarum nomina, deficiente omnino consimili in lingua latina vocabulo, gallice reddere profecto non exprobrabitur, scilicet *départements de l'Aude et de la Haute-Garonne.*

3. Nec tamen plura ex eodem codice de vita Guillelmi Pelisso excerpenda arbitramur, etsi multa alia, si quis velit, exinde colligi possint; sunt enim omnia, ut jam notavimus, unius ejusdemque generis.

inquisitoris munus obtinuisse constet, quis credat tunc eumdem in hoc levi officio apud Bernardum de Caucio et Joannem de Sancto Petro omne animi robur impendisse ? Fueritne forsitan eo tempore in offensa apud Fratres Praedicatores, remotusque a negotiis, in incerto est, verumtamen ediscere operae pretium fore arbitramur.

Quidquid est, haec nec plura de vita Guillelmi Pelisso exposuisse satis erit. Quae quidem parum definita, imo imperfecta prorsus esse non negamus, sed haudquaquam culpa nostra, quum propter defectum indiciorum, sicut ab initio notavimus, opus quasi desperatum suscepisse videremur [1].

1. Vitae quidem Guillelmi Pelisso in hac dissertationis nostrae parte lumen, si fieri posset, praeferre aggressi, mentionem facere omisimus de his, quae circa scriptorem nostrum in illo opere memorata sunt, cui titulus : *Histoire littéraire de la France,* XIX, pp. 101-103. Nam, quum e libro a Quétif et Échard exarato fere omnia illa deprompta videantur, quasi nullius utilitatis esse potuerunt.

§ II

De Guillelmi Pelisso operibus.

Non melius profecto scripta Guillelmi Pelisso quam ejusdem memoriam fortuna ab oblivione vindicavisse videtur, siquidem ea adeo mutila et deminuta nobis pervenerunt, ut quaecumque de vita auctoris desiderantur, minime compensemus.

Quum enim duo opera, sicut apparet, Guillelmus Pelisso conscripserit, unum deperditum fuisse constat, ita ut nulla illud recuperandi spes remansisse videatur, nec etiam quam materiam complexum sit, nobis ipsis facile effingere liceat. Quod autem ad alterum pertinet, recentissimum tantum atque omnino imperfectum hujus exemplar habemus. Quin etiam, illud non parvae auctoritatis monumentum nobis servatum fuisse, omnes ab exeunte septimo decimo saeculo usque ad aetatem nostram auctores aut nesciverunt aut non crediderunt[1]. Jam

1. « Nous ignorons si ces mémoires existent encore. » Sic, verbi gratia, locutus est Schmidt, quum in libro suo de Chronico Guillelmi Pelisso mentionem fecit. (Vide *Histoire et doctrine de la secte des Cathares ou Albigeois,* t. I, p. 298, note 1.)

vero, sicut de vita Guillelmi Pelisso fecimus, indicia de ejus operibus, undecumque colligi possunt, congregare, ac rei satis obscurae lumen, quantum in nobis erit, praeferre aggrediemur.

De priore autem duorum operum, quibus se Guillelmus Pelisso historiarum scriptorem praestitisse videtur, Bernardus Guidonis in libro suo de ordine Fratrum Praedicatorum ter memorare non praetermisit[1]. Sed nec titulum operis indicare, nec materiam significare meminit, ita ut hoc tantum, ipso testante, nobis compertum appareat, a Guillelmo Pelisso ordinis Fratrum Praedicatorum initia, et hoc praecipue Tolosae, enarrata fuisse.

Nec aliter quoque de ea re quam agitamus sentire videntur Quétif et Échard, quorumdam scriptorum, re-

— Opus autem scriptoris nostri Carcassonae asservari recentissime indicavit Leop. Delisle in illa de Bernardo Guidonis, quam supra jam notavimus, dissertatione, p. 319.

1. Quum jam superius (p. VII, not. 1) unum e locis retulimus, in quibus mentionem illam a Bernardo Guidonis factam fuisse non dubium est, caeteros nunc transcribere volumus. Namque, memoratis diversi generis beneficiis, quibus Tolosae episcopus, Raimundus scilicet de Falgario vel de Miromonte, conventum Fratrum Praedicatorum ejusdem urbis, quem ipse quasi renovaverat, ornaverit, pergit Bernardus Guidonis, in illo quod jam saepius citavimus opere : *In quodam caterno, quod de ipsius loci adquisitione et promotione frater Guillelmus Pelisso conscripsit, sicut viderat et audierat, plurima legi.* (Bibl. Tolos., ms. 273, serie I^a, f° 118 A.) — Praeterea, de liberalitate Fulconis episcopi, Raimundi de Falgario antecessoris, in Fratres Praedicatores, disserendo idem auctor Guillelmi Pelisso testimonium usurpare non omisit his verbis : *Quae scripta et consignata sunt in prefato quaterno per fratrem Guillelmum Pelisso, qui multum et viriliter laboravit et apposuit partem suam.* (Ibid., ut supra, eodem f°, sub fine.) — Nec, quoniam ea nunc agitamus, opinio quaedam praetermittenda videtur, quae a Leop. Delisle significata est. Pertinet nempe ad illum locum, a nobis ipsis jam indicatum, quo Bernardus Guidonis, in sua Fratrum Praedicatorum historia, Tolosani conventus exordia breviter exposuit. Quem quidem locum Leop. Delisle, ex illa Guillelmi Pelisso narratione, de qua nunc disserimus, extractum atque a Bernardo Guidonis in proprium opus de verbo ad verbum translatum fuisse asseruit, ita ut fragmentum quoddam deperditi illius scriptoris nostri opusculi sic nobis servatum fuisse sit credendum. (Vide *Notice sur les manuscrits de Bernard Gui*, p. 318.)

centiorum quidem, auctoritate freti, scilicet Stephani-Thomae Souëys ac Joannis-Jacobi Percin [1]. Quorum prior opinionem suam in notis manuscriptis significavit, alter autem in hoc libro, cui titulus *Monumenta conventus Tolosani ordinis FF. Praedicatorum*. Quin etiam, ii duo scriptores, cujus generis fuerit opus a Guillelmo Pelisso conscriptum declarare non dubitaverunt, quum nihil tale nobis Bernardus Guidonis suspicari permiserit. Hoc enim fuisse affirmaverunt tractatum quemdam de rebus ordinis, ab anno 1214 ad annum 1246, ac praecipue de conventus Tolosani exordiis.

Quonam vero tempore hunc librum Guillelmus Pelisso composuerit, id ab ipso indicatum fuisse iidem auctores contenderunt. Scripserit nempe Tolosae, mense octobri, anno 1263. Quod quidem credibile prorsus esse non infitiamur, planeque conjectari posse ex hoc primo libri Bernardi Guidonis loco, quem nuper memoravimus.

De altero autem scriptoris nostri opere, etsi melius quam de priore res cessisse videantur, quoniam ad nos demum illud pervenerit, indiciorum forsitan inopia magis laboramus, per quae hujus vestigia a tertio decimo saeculo usque ad aetatem nostram persequi liceat.

Quod quidem a Bernardo Guidonis, etsi non expresse, procul dubio tamen significatum est, quum mulierem quamdam haereticam Tolosae, anno 1234, jubente episcopo Raimundo de Falgario, combustam fuisse retulit [2]. De illo igitur Guillelmi Pelisso opusculo Bernardum Guidonis monitum exstitisse plane constat. Imo, si asse-

1. Vide *Script. ord. Praedic.*, loc. cit., ut supra.

2. *Nota de hoc*, ait, *in illis que scripsit frater Guillelmus Pelisso Tholosanus, qui vidit et interfuit*. Haec in codice 273 saepe dicto, f° 8 B, margini scilicet adscripta, reperiuntur.

rentibus Quétif et Échard credere non taedet, ab ipso e codice autographo exemplar descriptum fuisse non est dubitandum. Hoc enim quum supradictis scriptoribus indicavisset Claudius d'Usson, ipsi usurpaverunt, ut de Guillelmi Pelisso opere in proprio suo libro dissererent. Asservabatur autem illud, exeunte septimo decimo saeculo, Tolosae, in conventu Fratrum Praedicatorum, fueratque volumini cuidam Bernardi Guidonis nonnulla opera continenti subjunctum.

Alia quaedam insuper auctor ille, iisdem testantibus, notare non omiserat, videlicet codicem autographum triginta quinque paginis constare et esse papyraceum. Quin etiam, priori operis parti in fine pariterque posteriori in principio verba aliquot adjecerat, quae ibidem usque nunc remansisse videntur. Hanc peculiarem sibi opinionem tradiderunt Quétif et Échard, nec dubium est illos, quum eam exposuerint, indiciis quibusdam nobis nunc deperditis, aut saltem famae non admodum spernendae, credidisse [1].

Illa autem vel ejusdem generis indicia nulla aetas, priusquam ad septimum decimum saeculum perveniatur, nobis, ut notatum est, suppeditavit. Hoc etiam saeculo, satis magnam Chronici Guillelmi Pelisso partem inseruit Percin, seu *Monumentis* suis *conventus Tolosani*, seu opusculo illi, quod *Martyres Avenioneti* inscribitur.

1. Vide *Script. ord. Praedic.*, loc. cit., ut supra. Priorem vero Chronici locum, de quo agitur, jam indicavimus; hunc alter statim subsequitur. Vide *Chron.*, cod. p. 16. — Caeterum, si plane Quétif et Échard consentiamus, non duos illos tantum quos significaverunt locos, sed etiam praepositum toti Chronico prooemium Bernardo Guidonis haud immerito tribuere debemus. Nam, etsi quot paginis constiterit codex autographus, in hoc prooemio, ut est certe apud Carcassonense exemplar expressum, non memoratum sit, ibidem papyraceum illum fuisse reperimus. Quae quidem haud inutilia fore videntur, quum mox de origine illius exemplaris disceptabimus, a quo nostrae dissertationis causam sumptam fuisse fateri non recusamus.

Quod quidem ab eo, non nisi ipsius auctoris verbis plerumque aut immutatis aut coarctatis, aut etiam per negligentiam saepius corruptis, factum fuisse nimis apparet, ita ut nullam facultatem nobis praebuerit codicem illum emendandi, quem unum verisimiliter servatum fuisse arbitrari debemus. Nec tamen dubitandum est, quin de opere tam paucis scriptoribus noto testimonium haud inutile praestiterit [1].

Haec tantum de Chronico Guillelmi Pelisso nobis tradita sunt, nec aliud quidquam quod superaddere possimus in promptu est. Plura tamen remanere haud infitiamur, quae explananda essent. De tempore enim disquirere, quo scriptor noster librum suum condiderit, operae pretium fore non dubium est. Sed quum, deficientibus cujuslibet generis indiciis, illud, etsi aegre, dimittere debeamus [2], huic potissimum quaestioni insistendum esse arbitramur, quam tamen plane nos explicaturos non speramus.

1. De praecipuis Chronici Guillelmi Pelisso locis, quos a Percin diversis scriptis suis, aut integros, aut coarctatos tantum, insertos fuisse manifestum est, vide *Monum. conv. Tolos.*, pp. 48, 49, n° 16 (*Chron.*, cod. pp. 16-19); — p. 49, n° 17 (*Chron.*, cod. pp 7, 8); — pp. 50, 51, n^is 21, 23, 24, 25, 27, 32, 33, 34, 36, 37, 38, 41 (*Chron.*, cod. pp. 8-13); ac praesertim *Martyr. Avenion.*, cap. II (*Chron.*, cod. pp. 1-7, 9, 15, 16). — Nec plura de his in praesenti dicenda esse judicamus, quum in hac nostra Chronici editione quae subsequitur, quaecumque ex opere Guillelmi Pelisso in sua scripta a Percin translata fuerint, indicare nobis in animo sit. Caeterum, notemus oportet, scriptorem eumdem, etsi forte nobis non significaverit, se tam multa ex illa narratione, de qua disserimus, sumpturum esse, non mediocre tamen sui ipsius operi adjumentum eam fore nos praemonuisse. Nempe in prooemio : *Sequutus sum praecipue,* ait, *F. Stephanum de Salagnac, F. Guillel. Pelisse, testes oculatos. (Monum. conv. Tolos., Ratio operis ad lectores.)*

2. De hoc tempore Percin annum 1268 Epiphaniamque ejus anni indicavit. *Hic finit,* ut aït, *manuscriptum Fratris Guil. Pelisse, qui omnia quae ex ipso relata sunt sua manu descripsit, Tolosae in festo Epiphaniae 1268. (Monum. conv. Tolos.,* p. 51, n° 41.) Talia autem asserenti Percin haudquaquam annuendum esse videtur, quum manifesto crediderit a Guillelmo Pelisso Chronicon suum conscriptum fuisse eo anno, quo eumdem e vita cessisse plane constat. De hoc vide etiam apud ipsum, *Martyr. Avenion.*, cap. II, n° 24.

Chronicon nempe Guillelmi Pelisso e duobus partibus omnino diversis constare prima specie animadvertere facile est. In quarum priore, octo videlicet annorum spatium, ab anno 1229 ad annum 1236, complexa, persecutiones enarrantur, quibus haeretici in Occitania, ante constitutam anno 1233 Inquisitionem, vexati sunt, resque gestae postea per triennium ab inquisitoribus exponuntur [1]. Posteriori autem res una, per modum perscriptionis, inserta est, scilicet qua seditione, anno 1234, urbs Albia in Arnaldum Cathalani concitata sit, propter indictam ab eo haereticae cuidam mulieri exhumationem [2].

Ambas vero partes scripseritne Guillelmus Pelisso, an tantum priorem, ambigitur. Imo, quoniam de hoc nihil prorsus videatur significare prooemium, quod posteriori parti praefixum est, hanc Quétif et Échard scriptori nostro non tribuendam, anonymi autem cujusdam auctoris opus esse arbitrati sunt.

Quod quidem difficulter ac neutiquam praecise disceptandum esse non negamus. Ut enim vera loquamur, nihil est in hac narratione, e quo a Guillelmo Pelisso potius quam a quolibet ejusdem aetatis scriptore, praeterquam a monacho, eam conditam fuisse dijudicari possit. Monacho autem cuidam assignandam esse, velut nos saltem opinamur, haud dubium est, quia laïcum, Inquisitioni et inquisitoribus vel deditissimum, hoc modo nunquam locutum fuisse apparet. Namque talibus tamque asperis verbis usus esse videtur, non oculatus tantum testis, sed etiam vir in insectandis haereticis vehementer occupatus.

De his ergo sit satis, quum caeterum ad explanandam rem de qua agitur non proficiant. Deest enim quoddam

1. *Chron.*, cod. pp. 1-16.
2. Ibid., pp. 16-19.

et forte praecipuum signum, propter quod hanc narrationem Guillelmo Pelisso merito tribuere nobis liceat, non interposito nempe auctoris nostri nomine quatuordecim testium nominibus, quae huic parti Chronici tanquam verae cuidam perscriptioni subjecta sunt[1].

Animadvertendum est tamen hanc narrationem, de qua nunc disserimus, jam ab ineunte quarto decimo saeculo, si Quétif et Échard credamus, priori parti Chronici fuisse annexam. Quae quum indubitate Guillelmo Pelisso tribuenda videatur, aestimari quodam modo potest unum et eumdem ambarum partium auctorem exstitisse. Quin etiam, rem ipsam unde narrationis illius sumptum est argumentum in quodam loco Chronici notatam fuisse constat[2], talibus profecto verbis, ut hic locus quasi compendium totius partis, de qua nunc ambigimus, merito reputetur, inferendumque sit eam Guillelmo Pelisso non defuisse, quando opus suum conscripserit, aut ab eodem ambas partes fuisse conditas.

Memoremus denique oportet, scriptorem nostrum inquisitoris munere una cum Arnaldo Cathalani Albiae functum fuisse. Quo vero tempore, non plane quidem Chronicon significavit, e quo indicium illud sumitur[3]. Eo tamen anno potissimum fuisse judicandum videtur, quo in Inquisitionem totius urbis tam acerba exorta est seditio. Quod si tantam rem majoremque forsitan caeteris, quae in Chronico ejus memorata sunt, separatim enarrare Guillelmus Pelisso susceperit, quis miretur?

Haec profecto vel talia non frustra conjectari posse arbitramur, nec tamen ad solvendam prorsus quaestionem

1. *Chron.*, cod. pp. 18, 19
2. Ibid., p. 4.
3. Ibid., p. 6.

quam agitavimus, nostro saltem judicio, sufficiunt, ita ut, post hanc disceptationem, omnia fere non minus obscura quam antea remansisse, merito, si quis censeat, aestimaturus videatur[1].

1. Aptum est etiam hic notare, ne quid de his quae tractavimus, non significatum relinquatur, quum de priore Chronici parte duo tantum nobis servata sint, codex videlicet Carcassonensis, locique insuper, nimis quidem, ut indicatum est, immutati, quos in *Monumentis* suis Percin inseruit, non eodem modo de posteriore parte res cessisse. Hanc enim transcriptam habemus apud Doat (t. XXXI, ff. 29 et seqq.), juxta volumen quoddam ex archivis Inquisitionis Carcassonensis excerptum, nec non apud Martène et Durand (*Thes. nov. anecdot.*, t. I, cc. 985-987), ex *schedis Colbertinis,* ut ipsi dixere, id est, juxta ejusdem Doat exemplar. Quae quidem pars Chronici apud Martène et Durand inscribitur : *Narratio de illatis Arnaldo inquisitori apud Albiensem civitatem injuriis.* Caeterum, ambo haec posterioris illius partis exemplaria, ad codicem bibliothecae Carcassonensis emendandum nullius utilitatis fore videntur. Sunt enim hoc ipso codice deteriora, propter multa hominum vel locorum nomina, quorum formam adeo vitiatam fuisse aestimamus, ut paene nullo modo corrigi possint. — Quam quidem operis Guillelmi Pelisso partem apud Doat et Martène nobis servatam fuisse non ignoravit Schmidt, nec in libro suo notare paertermisit. (Vide *Histoire et doctrine de la secte des Cathares ou Albigeois,* t. I, p. 305, nota 2.) Chronici tamen appendicem propriam esse minime suspicatus est, etsi de hoc a Percin moneretur, quem profecto studiose excussisse satis liquet. Vide nempe *Monum. conv. Tolos.,* p. 43, nº 16.

§ III

De Chronici Guillelmi Pelisso Carcassonensi, quem exscripsimus, codice.

Postquam nonnulla de vita Guillelmi Pelisso deque ejus operibus huic dissertationi praeponere, nec e supervacuo, ut arbitramur, provisum est, pauca insuper et eadem quam brevissima adjicienda videntur, de codice illo, unde opusculi hujusce causam a nobis sumptam fuisse jam diximus.

Quum vero, sicut saepius supra iteratum est, non alterum Chronici Guillelmi Pelisso superesse exemplar appareat, eo magis dolendum opinamur, illud recentiore tantummodo aetate exaratum, imo et imperfectissimum, nobis traditum fuisse[1]. Rara enim huic exemplari de

1. Cujus quidem exemplaris hanc descriptionem informabimus quae sequitur : ex bibliotheca publica Carcassonensi, hujusque bibliothecae catalogo sub nº 6449 inscriptum, nº autem 37 notatum in illa dissertatione de manuscriptis ejusdem bibliothecae codicibus, a Car. Fierville huic opusculorum collectioni inserta, quae inscribitur : *Mémoires de la Société des arts et des sciences de Carcassonne* (t. III, pp. 119-328) ; — in-folio, papyraceum, exeunte septimo decimo saeculo, satisque, quod ad scripturam pertinet, accurate exaratum ; 20 constans paginis, quarum 19 tantum a librario usurpatae sunt, ac numeris romanis signantur. Notae quaedam margini

quo agitur interpunctio est, aut pessima, aut etiam nulla. A librario enim vetustiorem, quem exscripturus erat, codicem, aegre vix intellectum fuisse judicari potest, quoniam eum de hominum vel locorum nominibus plerumque aberrasse, multisque erasis, non semper veram vocabulorum formam expressisse sit manifestum. Quin etiam, verba aliquot identidem omissa fuisse, interjectis punctis, notatum est.

Caeteroqui, non unius ejusdemque manus exemplar illud esse apparet; imo per varium scripturae genus facile dijudicari potest, scriptori adjunctum fuisse correctorem, qui quidem omissa aliquando explevisse aut errata emendavisse videtur[1]. Hoc autem gravissimum esse nemo non aestimabit, quum illum, de quo nunc disserimus, codicem, uno saltem loco, coarctatum fuisse manifesto constet[2], ac propterea timendum sit ne in aliis quoque deminutus ad nos pervenerit. Quod tamen, nostro certe judicio, haudquaquam recte conjectari potest.

Hoc etiam non omittendum arbitramur, scilicet exemplar illud Carcassonense, codici, ut apparet, simile admodum exstitisse, quem usurpavit Percin, partimque *Monumentis* suis atque opusculo de *martyribus* Avenioneti inseruit. Illum profecto codicem ab historico conventus Tolosani, quo melius cum narratione sua congrueret, penitus et non sine quadam negligentia ac temeritate immutatum fuisse jam diximus. Quum vero plerumque de praecipuis consentiant duo illa exemplaria, ostendantque

adjectae sunt. Tegumento denique titulus hic inscriptus legitur : *Chronicon Fratris Guillelmi Pelhisso ordinis Praedicatorum de Albigensibus*. — Olim, exeunte octavo decimo saeculo, in bibliotheca domini de Murat asservabatur.

1. De hoc vide praecipue cod. pp. 1, 2, 3, 6.

2. Vide, cod. p. 4, illa quae pro quorumdam Fratrum Praedicatorum nominibus gallice reposita sunt.

ambo praesertim locum, quem priori et posteriori parti Chronici interjectum fuisse notavimus, hanc similitudinem de qua agitur, nemo sane dubiam esse crediderit. Grave est enim et quod perpendi merito debeat, duobus ejusdem operis codicibus, eumdem locum, iisdem verbis expressum inesse, quem, si Quétif et Échard credamus, non a Guillelmo Pelisso, sed ab alio Fratrum Praedicatorum historico, id est a Bernardo Guidonis, scriptum fuisse constat.

Hinc vero aliud quoque animadvertendum esse videtur, scilicet quodnam vetus autographi codicis exemplar Percin librariusque, a quo bibliothecae Carcassonensis codex exscriptus fuit, usurpaverint. Quod quidem, nisi parum supradictis indiciis confidendum arbitremur, non aliud fuisse manifestum est, quam illud de quo Quétif et Échard mentionem fecere. Asservabatur autem, exeunte septimo decimo saeculo, Tolosae, in conventu Fratrum Praedicatorum, nec alio profecto codice Percin usum fuisse manifestum est, quum ibidem, eadem aetate, vitam ageret. Postremo, quod ad illud bibliothecae Carcassonensis exemplar pertinet, hinc etiam nobis demonstratur, quomodo, exactis jam centum annis, codex ille operis Guillelmi Pelisso in Occitania, privatis archivis repositus exstiterit, atque nunc in quadam ejusdem regionis urbe reperiatur.

---

§ IV

De Chronici Guillelmi Pelisso auctoritate.

Ordini Fratrum Praedicatorum, jam a primo quo constitutus est saeculo, scriptores non defuisse quis ignorat? Quorum etsi plerique de Scriptura, aut de philosophia, aut etiam de jure canonico disseruerint, nonnulli tamen fuerunt, qui initia ordinis sui atque res quibus ille implicatus fuerit enarrare aggressi, historicos vere se praestiterint.

Nempe, ne minimos horum memoremus, ea aetate de qua agitur, Humbertus de Romanis et Thedericus de Apoldia vitam beati Dominici a se conditam ambo nobis tradiderunt[1]. His quoque paene aequales vixere alii historici, qui non tantum de ordinis Fratrum Praedicatorum auctore, sed etiam de ordine ipso scripserunt, videlicet

1. Humbertum de Romanis ordini Fratrum Praedicatorum jam ab anno 1224 associatum, ejusdemque ordinis magistrum generalem ab anno 1254 ad annum 1263, anno denique 1276 mortuum fuisse constat. A Thederico autem de Apoldia librum suum conscriptum fuisse anno circiter 1292 accepimus. — Quorum quidem opera, uno eodemque codice connexa, in bibliotheca publica, Tolosae asservantur, I' videlicet serie, n° 197. Thederici nempe de Apoldia opusculum priori illius codicis parti, a fol. 1 ad fol. 130, insertum est; Humberti vero de Romanis librum pars posterior, a fol. 131 ad fol. 192, complectitur.

Geraldus de Fracheto, a quo librum *De vitis Fratrum* accepimus [1], Stephanusque de Salagnaco. Cujus quidem opus quasi rude et imperfectum, ineunte quarto decimo saeculo, Bernardus Guidonis penitus retractavit, atque pro viribus absolvere conatus est [2].

Chronicon autem Guillelmi Pelisso, de quo in hoc opusculo nostro disserere aggressi sumus, tum propter naturam, tum propter eam, qua conscriptum est, aetatem, cum his, quae jam enumerata sunt, operibus, haud immerito conferendum esse arbitramur. Non quia eorumdem amplitudinem Chronicon illud assecutum sit; imo id brevissimum esse paginisque aliquot tantum constare jam notavimus. Quin etiam, quum illud, quod unicum nobis remansisse videtur, exemplar, recentiore tempore exaratum fuerit, penitusque vitiatum ac forsitan ex parte coarctatum appareat, aliquid auctoritati ejus ademptum fuisse aestimari potest.

Verumtamen, etsi libro a Bernardo Guidonis composito id nec anteponere, nec etiam comparare liceat, nos saltem non dubitamus, quin caeteris operibus quae memorata sunt longe sit praeferendum. Legendas enim,

1. Geraldus de Fracheto, Castris Lucii (Chalus, ch.-l. de cant., arr. de Saint-Yrieix, dép. de la Haute-Vienne) natus, anno circiter 1205, ordinemque Fratrum Praedicatorum ingressus, anno 1225, prior conventus Lemovicensis (1233), postea Massiliensis, tum demum Montispessulani (1255-1266), prior quoque provincialis Provinciae (1251), Lemovicis mortuus est, 4ª die octobris 1271. — De illo scriptore, a quo plurima non diffitetur se usurpavisse, Bernardus Guidonis satis fuse mentionem fecit. Vide bibl. Tolos., ms. 273, Iª serie, f° 43. — Vide etiam : U. Chevalier, *Répert. des sources hist. du moyen âge*, c. 762 ; Leop. Delisle, op. cit., pp. 443, 444. — Notemus quoque oportet libri a Geraldo de Fracheto conscripti exemplar Tolosae exstare, in bibliotheca publica repositum, Iª quidem serie, n° 191.

2. De Bernardo Guidonis, vide Leop. Delisle, op. cit. De fratre autem Stephano de Salagnaco, nec non de illa parte operis circa ordinem Fratrum Praedicatorum conscripti, quam sibi proprie vindicare potest, vide eumdem auctorem, op. cit. pp. 304-311.

quas colligere curavit Geraldus de Fracheto, quum forma sint jam inde a tertio decimo saeculo paene obsoleta, obscurari prorsus nemo non judicabit, si cum illa narratione tam vehementi conferantur. Cui ne vita quidem beati Dominici ab Humberto de Romanis condita merito exaequari potest, quanquam propter scriptoris auctoritatem fidemque magni aestimanda videatur. His enim, nec ita multis, quas scripsit Guillelmus Pelisso, paginis, tot tantaque nobis suppeditantur indicia, unde historiae Occitaniae simulque Galliae, ineunte tertio decimo saeculo, lumen adhibeatur, ut, beati ipsius Dominici vitam, tam magni quanquam viri, his minoris esse momenti fateri debeamus.

Hoc enim tam brevi Chronico plane ostenditur, quam acerbe in Occitania haeretici vexati sint, paucis quidem annis antequam Inquisitio in hac regione constitueretur, aut postquam constituta saevire coepisset. Nec rerum, quas enarrare aggressus est, aequalem tantummodo fuisse Guillelmum Pelisso notandum est, sed etiam plerumque oculatum testem, utpote ordini Fratrum Praedicatorum associatum, quem ab initio Inquisitioni penitus annuisse constat. Imo nonnulla sunt, de quibus a scriptore nostro majus forsitan testimonium praeberi licuit, quoniam in iisdem quasdam tenuerit partes. Quae quidem non minima omnium esse videntur, quorum nobis ab eo memoria tradita est, nec quisquam ad ipsam Inquisitionis historiam pertinere negabit. Neutiquam enim est obliviscendum Guillelmum Pelisso, fere ab exordiis Inquisitionis, inquisitorem fuisse creatum, talique munere in plurimis civitatibus Occitaniae, una cum quibusdam Fratribus Praedicatoribus, eodem ministerio potitis, functum fuisse.

Quod profecto satis superque apparere nemo infitiabitur, dummodo considerare non omittat, quam vivide ab auctore nostro narratae sint res, quarum seriem in Chronico suo conscribere destinavit. Si quis enim de his omnibus parum monitus exstiterit, quae nunc animadvertenda esse significamus, mox eadem conjectanda arbitrabitur, ut de hac narratione deque ejus natura sibimet rationem reddere possit. Necesse enim est ut rebus ipsis aliquis interfuerit aut etiam fuerit implicatus, ut illae ab eo tam vehementer tamque acri studio enarrentur. Quae, licet non mediocriter per se ipsas stupendae judicari debeant, segnius tamen animum nostrum impellerent, si ab aequali quodam tantummodo scriptore, famam, qualis ad aures ejus pervenerat, secuto, traditae fuissent.

Sed non modo de historia Ecclesiae tertio decimo saeculo nos certiores Chronicon Guillelmi Pelisso facit, quoniam idem multo magis valere procul dubio apparet. Hoc enim commonemur quis fuerit Occitaniae status, post compositam anno 1229 pacem, quam, valde a civibus illius regionis exspectatam, novas tantum calamitates eis attulisse constat. Eo nempe contemptionis descendisse principes, vel Tolosae, vel cujuslibet harum provinciarum civitatis, manifestum est, ut nec populos ad quietem reducere, nec semet ipsos a dominatione seu regum Franciae seu cleri defendere possent, quum ab iisdem pro haereticis semper haberentur. Increvit praeterea civium discordia, ita ut in duas partes de religione jam decertaturas urbes Occitaniae discessisse videantur, vereque externo bello civilia arma continuata sint.

Ille autem status rerum quem quasi cursim descripsimus, non tantum ad historiam christianae fidei tertio decimo saeculo respicit, sed generatim totius Europae, aut

saltem regionis ea aetate inter omnes praestantissimae, quum propter civium suorum divitias eruditaque ingenia, Italicas ipsas civitates, non jam litteris et artibus, sicut postea, deditas, illa longe antecesserit.

Quid de ista regione tam prospera, exactis centum annis, factum sit, haud dubiis profecto indiciis monemur, nec minima horum ex illo opusculo, de quo disserimus, sumenda esse judicamus. Quidquid est, multa jam eo tempore auguranda suppeditat, quae postea pro certis habenda erunt. Nobis enim Guillelmi Pelisso Chronicon evolventibus ostenditur, quibus miseriis distracta lacerataque Occitania in populi unius corpus cum Francia demum coaluerit. Quas quidem miserias diuturnas et adeo acerbas fuisse nemo diffitebitur, ut tantas sustinere, priusquam domesticam libertatem amitterent, paucis populis sit fato impositum, atque tandem regionis illius cives se ipsos ab externa dominatione tueri non valuerint.

Multas procul dubio est causas exstitisse, quibus Occitania eo infirmitatis deducta sit; sed nulla major fuisse videtur, quam illa saevitia, qua super centum annos in hac regione Inquisitio usa est. Nam quum, tertio decimo saeculo, omnes reges Franciae, videlicet Philippus secundus calliditate ac modestia, Ludovicus octavus bellis, Ludovicus nonus connubiis ac foederibus, Occitaniam regno suo adjungere conati sint, minus forsitan quam inquisitores circa hanc rem eos laboravisse nos saltem aestimamus. Qui quidem, etsi hoc tantum sibi proposuerant, scilicet rebellantem provinciam in ditionem summorum pontificum redigere, ingenium proprium Occitaniae, videlicet ipsam libertatis ejus causam, fregerunt.

Haec taliaque, nisi fallimur, Chronicon Guillelmi Pe-

lisso, de quo disserere suscepimus, ostendit, nihilque a nobis in majus exaggeratum fuisse argumento erit, illa, quae nunc tandem mox sequetur, totius operis commentatio.

---

§ V

De Guillelmi Pelisso scribendi arte et ingenio.

Quoniam de vita Guillelmi Pelisso deque ejus operibus et eorumdem auctoritate satis, ut credimus, agitatum est, his non diutius insistendum esse videtur. Quapropter, huic dissertationis nostrae parti finem imponemus, adjectis tantum paucis de stylo et arte scribendi, nec non de ipsius scriptoris ingenio, prout in illo, quod unice excutere possumus, opusculo exhibentur.

Quod autem ad stylum pertinet, praecavendum magnopere aestimamus, ne quis in errorem adeo inducatur, ut nos longe alia affirmaturos esse timeat, quam quae veritati rationique sunt duntaxat consentanea. Haudquaquam enim nobis in animo est, Guillelmi Pelisso Chronico laudes quasdam imputare, quibus nisi immerito admodum extolli possit, nec quo tempore scriptor noster vixerit, postquam ipsi toties notavimus, nunc omittendum esse arbitramur.

Nempe, tertio decimo saeculo, perinde ac tota illa saeculorum serie, cui mediae aetatis nomen impositum est, plurima scripta reperiri possunt, quibus nemo defuisse

vehementiam aut eloquentiam recte asseruerit. Eadem tamen, illa in ordinandis librorum partibus solertia, vel in his conscribendis arte, fere semper caruisse quis nesciat, quum propter haec praesertim opera a Graecis Latinisve condita excelluisse procul dubio sit?

Quae quidem hic memorari non supervacuum fore credidimus, quia tantum, adhibitis talibus judicandi regulis, de operibus media aetate exaratis disceptandum esse videtur, nisi in malitiae aut inscitiae crimen incurrisse velimus. Nec alia quidem ratione scriptorem illum, de quo disseruimus, recte aestimari posse manifestum est, quum primo aspectu opus ejus quasi omnino incompositum appareat, habeatque tamen multa laude apud optimos judices dignissima.

Ea profecto, quae jam supra exposuimus, nunc repetere minime nobis in animo est. Satis erit lectorem ad ipsum Chronicon remisisse, indicatis tantum ejusdem partibus, quibus opinionem nostram potissimum confirmari posse arbitramur.

Primo nempe tanquam aequiparanda notabimus, controversiam illam inter Bernardum Pictavini atque Bernardum de Solario exortam [1], tum quoque illatas Joanni Textori [2] et Arnaldo Sancerii lites [3], ac denique receptam a Raimundo Grossi confessionem [4]. Inter quae duas illas lites, quas diximus, memoria praesertim dignas esse credimus, propter nonnulla per quae de temporis hujusce rebus mire quodam modo edocemur.

Tres autem alias narrationes praedictis longe antecel-

1. *Chron.*, cod. pp. 4, 5.
2. Ibid., pp. 5, 6.
3. Ibid., p. 7.
4. Ibid., pp. 15, 16

lere, praecipuumque in toto Guillelmi Pelisso opusculo locum obtinere, nos saltem judicamus, non solum quoniam a scriptore fusius explicatae sunt, sed etiam ad commovendos animos compositae magis videntur.

Prima scilicet illarum narrationum relatum est quomodo, anno 1234, jubente Raimundo de Falgario, Tolosae episcopo, mulier quaedam haeretica ad supplicium ducta sit [1]. Quod sane a Guillelmo Pelisso perbene expositum fuisse nemo, si legerit, infitiabitur. Namque episcopus, postquam haereticae per adhortationes minasque simul diu institit, ut vidit eas nihil prodesse, tandem, prorumpente ira, mulierem exsecratus est, atque damnatam a se ad ignem statim supplicio affici jussit. Quo peracto, episcopus ejusque socii ad conventum Fratrum Praedicatorum reversi amplissimis epulis consedere, *et quae parata erant,* ut ait Guillelmus Pelisso, *cum laetitia comederunt, gratias agentes Deo et beato Dominico.*

Secundam autem narrationem, de qua nunc pauca notaturi sumus, non tantum superiori, sed etiam caeteris praestare arbitramur, quae toti Chronico insertae sunt, ne ultima quidem excepta, quanquam ea prioribus omnino conferenda videatur. Seditionem scilicet dicimus, Albiae, anno 1234, in inquisitorem Arnaldum Cathalani exortam, partem profecto permagnam Chronici, hac tamen, nisi fallimur, minoris momenti judicandam, qua, anno 1235, Tolosa expulsos fuisse Fratres Praedicatores traditum est. Illam quidem subtiliter dispicere non licet, quoniam fusius explicata est. Animadvertendum tamen credimus, hinc peroptime judicari posse quo

1. *Chron.*, cod. pp. 7, 8.

furore animi tunc temporis in Occitania, saevientibus civilibus discordiis, exarserint.

Verumtamen, ea, quae de toto Guillelmi Pelisso opere generaliter exposita sunt, de stylo quoque ejus proprie asserenda esse apparet. Quem quidem stylum nullo modo Graecorum Latinorumve scriptorum orationi componendum esse haud dubium est, quum nec bene ordinatus, nec expeditus, nec pressus, nec quolibet artis genere magni aestimandus videatur. Quin imo ullane scribendi solertia, styli nomine merito decoranda, in hoc sermone reperiri potest, quem jure barbarum quivis unus judicet, quoniam a latina lingua vocabula ejus tantum, et eadem saepius a primo sensu deflexa, assumpta sint? Si quis tamen stylum non his tantummodo, quae styli nomine vulgo appellantur, sed aliis quoque constare non recuset, vehementia scilicet, aut narrationis optima quadam brevitate, quas ex ipsius scriptoris ingenio pendere certum est, ille, Guillelmum Pelisso nonnunquam stylo vere excelluisse, affirmare non dubitabit.

Qua quidem scribendi ratione, ad percellendos lectorum animos tam idonea, scriptorem nostrum potissimum praestitisse manifestum est. Nec exempla, si adhibere voluerimus, defutura videntur, narrationesque illas inprimis, quae a nobis supra indicatae sunt, argumento rei fore judicamus. Hunc tamen locum notandum esse praesertim arbitramur, quo paucis verbis a Guillelmo Pelisso horrenda exhumationis pompa descripta est, quum foetentia haereticorum cadavera per urbes traherentur, horrente populo, ac praecone culpam eorum proclamante, necnon eamdem poenam minitante, si quis condemnatos imitari ausus esset [1].

1. *Chron.*, cod. p. 15.

Quod si laudes illae, quas diximus, opusculo de quo a nobis dissertatum est, merito tribuendae sint, haudquaquam id mirum apparebit, dummodo quidnam scriptor noster sibi proposuerit, aut quem conscribendo Chronico suo animum impenderit, consideraverimus. Summa autem fide et ingenuitate eum usum fuisse manifestum est, ita ut de iis, quae referre suscepit, ne minime quidem ambigere, imo, si in quibusdam saepius immodicus fuerit, statim dignoscere, nobis liceat.

Nempe, quum plures multo Tolosae exstitisse haereticos, post compositam anno 1239 pacem quam saeviente in Albigenses bello, asseruerit[1], aut, relata inter Bernardum Pictavini atque Bernardum de Solario controversia, consules ejusdem urbis arguere non dubitaverit, quasi haeresi omnino dediti fuerint[2], nullum propter hoc veritati detrimentum afferri quis neget? Causam quidem, cur talia scriptor noster opusculo suo inseruerit, perspicere facile est, studium scilicet nimium quo Inquisitionem inquisitoresque semper prosecutus est.

Quin etiam, juvante optima illa Guillelmi Pelisso fide, de ejus ingenio multo melius quam de vita, sicut a nobis supra expressum est, monemur. Si quis enim Chronicon excusserit, ut sibi quasi effigiem auctoris repraesentet, hunc strenuum ecclesiae Romanae propugnatorem hostemque haereseos impavidum exstitisse agnoscet, quoniam haereticos ab eo, seu dum monachus in conventu Tolosano vitam ageret, seu dum inquisitoris munere fungeretur, pari odio et diligentia lacessitos fuisse manifestum appareat.

1. *Chron.*, cod. pp. 1. 4.
2. Ibid., p. 4.

Exempli scilicet gratia adhiberi possunt verba illa, quae opusculo suo in modum exordii praeposuit[1]. Tum quoque eum quasi gaudio exsultantem, Deoque ac beato Dominico gratias agentem reperimus, quoties haeresim gravi ictu percussam fuisse memorat. *Hoc,* aït, *ad laudem Domini nostri Jesu Christi et beati Dominici actum est, et ad honorem Romanae et catholicae ecclesiae, matris nostrae, anno Domini 1231,* postquam Tolosae eversam domum, in qua haereticus quidam, Galvannus nomine, obierat, exhumatumque eumdem, jubente magistro Rollando, retulit[2]. *Benedictus Dominus et beatus Dominicus, servus ejus, qui ita defendit suos!* exclamat, narrata controversia, qua quidem Bernardus de Solario a Bernardo Pictavini superatus est[3]. Tandem, enumeratis haereticis, qui a Petro Cellani et Guillelmo Arnaldi, anno 1236, ad ignem aut exhumationem damnati sunt, pergit : *Eorum nomina non sunt scripta in Libro vitae; sed corpora hic combusta, et animae cruciantur in inferno*[4]. Quibus atrocissime dictis, priorem opusculi partem absolvit.

Verumtamen, etsi acerrimus haereticorum inimicus exstiterit, prout a nobis satis superque demonstratum fuisse arbitramur, Occitaniae nihilominus, unde oriundus erat, eum amantissimum externisque infensum remansisse procul dubio apparet, ne Gallis quidem exceptis, a quibus fidem Romanam in patriam suam nuper restitutam fuisse oblivisci non poterat. Quod quidem leviori,

1. *Chron.*, cod. p. 1.
2. Ibid., p. 3.
3. Ibid., p. 5.
4. Ibid., p. 16. — Vide nonnulla alia illis, quae a nobis notata sunt, admodum similia, pp. 8, 15.

certissimo tamen, ut nos saltem arbitramur, indicio perspicere nobis licet. Nempe, quum jam senescallus Carcassonensis Bernardum-Othonem de Aniorto ad mortem ducere decreverit, gallici milites, hanc regionem incolentes, eum, ne illud faceret, metu belli, dehortati sunt. *Cum senescallus*, ut ait Guillelmus Pelisso, *voluisset eum comburere, terrore ii Gallici, excepto marescallo de Mirapice, dissuaserunt ei, timentes quod haberent guerram inde*[1].

Illa profecto scriptoris nostri verba nemo futurus est qui non miretur, vel magni momenti esse non judicet. Nam, etsi insectandis haereticis totis viribus incubuerit, imo inquisitoris nomine decoratus quasi praefuerit, se in Occitania natum fuisse non oblitus est. Quocirca, in externos, *Gallicos* scilicet, ut usurpatum ab ipso vocabulum revocemus, eodem fere odio et contemptu, quo Raimundi septimi aut Fuxensis comitis socii, usus fuisse videtur. Bello nempe Albigensium, non tantummodo propter fidei sed etiam generis diversitatem, Franciam Occitaniamque tam atrociter inter se decertavisse saepius affirmatum est. Quod sane, nisi talibus indiciis parum confidamus, haudquaquam infitiandum est, quum Guillelmum Pelisso, licet monachus ordini beati Dominici associatus, nec non inquisitor, imo Inquisitionis historicus exstiterit, Tolosanum tamen atque Occitaniae civem remansisse appareat.

1. *Chron.*, cod. p. 9.

CAPUT SECUNDUM

§ I

De modo procedendi, quo inquisitores usos fuisse, e Chronico Guillelmi Pelisso, constat.

Chronicon profecto Guillelmi Pelisso vel strictim attingenti manifestum fit, indicia in eo de multis reperiri posse, scilicet, quem procedendi modum quasque poenas inquisitores, ea ipsa aetate qua Inquisitio constituta est, usurpaverint, quaenam ab inquisitoribus quibusdam celeberrimis acta sint, quorum nomina ibidem memorata notantur, quomodo se erga Inquisitionem gesserint religiosi ordines, ac praecipue ordo Fratrum Praedicatorum, nec non saecularis clerus, vel Sedis apostolicae legati, vel laïci principes, vel Occitaniae populi. Nonnulla etiam adjecta sunt de Albigensium moribus, ac de Universitate Tolosana, quae, nuper condita, non mediocriter se illius aetatis seditionibus immiscuisse videtur. De his quidem indicia non abundare procul dubio est; sed eadem memoria dignissima esse nemo diffitebitur, sicut certe, nobis Chronicon illud breviter excutientibus, apparebit[1].

1. Illa vero indicia, quum colligere et quasi ordine disponere tantum nobis in animo sit, nemo succensebit, si lectorem de historia Inquisitionis plenius edoceri cu-

Exordium a modo procedendi, quo inquisitores usi sunt, capiemus. Fuerintne autem ea aetate quaedam judiciorum formulae, vel legitima juris exsecutio, quibus Inquisitionis judices, quoties munere suo fungerentur, adjuvari possent, in incerto est, nec nos exstitisse aut e Chronico Guillelmi Pelisso conjici posse quodam modo arbitramur.

Si quis enim scriptoris nostri opusculum cursim evolverit, nullam potius procedendi regulam ab inquisitoribus tunc temporis usurpatam fuisse aestimabit. Considerandum est enim, verbi gratia, quomodo, anno 1234, Tolosae episcopus, Raimundus scilicet de Falgario, legitimus profecto in dioecesi sua causarum omnium quae ad fidem pertinebant judex, igne comburendam damnaverit mulierem quamdam haereticam, a se in domo ipsa ejus interrogatam, ubi jam moritura aegrotabat [1]. Quin etiam, prima specie non bene dignoscitur quinam judices exstiterint insectandis haereticis potissimum praepositi. His nempe quatuor annis, de quibus, ante constitutam a Gregorio nono Inquisitionem, Guillelmus Pelisso satis multa tradidit, ab anno videlicet 1229 ad annum 1233, nec non his etiam tribus annis qui postea secuti sunt, persequendi haereticos munus suscepisse videntur, clerici fere omnes, regulares vel saeculares, ministrique laïcorum principum, atque ipsi Universitatis Tolosanae magistri [2].

Non tamen quemquam hoc errore duci oportet, ut de illata in haereticos, ineunte tertio decimo saeculo, saevitia,

pientem, ad dissertationem nostram, superius jam significatam *(L'Inquisition dans le midi de la France au* XIIIe *et au* XIVe *siècle)*, generatim remittere placuerit.

1. *Chron.*, cod. pp. 7, 8.

2. Verbi gratia, vide defunctorum haereticorum exhumationes, anno 1230, absolutas a magistro Rollando Cremonensi, qui tunc in Tolosana Universitate theologiam legebat. (Ibid., ut supra, pp. 2, 3.)

dijudicari posse arbitretur juxta illa indicia, quae a nobis memorata sunt. Nam quum, sicut jam animadvertimus, ea aetate inquisitores certam illam procedendi normam non habuisse videantur, quam centum post annis in *Practica* ejus a Bernardo Guidonis prorsus descriptam reperimus, quasdam nihilominus regulas, vivente Guillelmo Pelisso, ab iis servatas fuisse constat, ac nonnullas earum in Chronico suo scriptor noster indicare non omisit.

Notandas quidem esse inprimis delationes illas credimus, quas ab haereticis ad fidem conversis, aut coactis per terrorem quidquid noverint detegere, inquisitores efflagitare soliti sunt. Quarum profecto multa exempla existunt in illo opusculo quod scrutamur, neque aliam earum tunc temporis fuisse utilitatem quam postea apparet. His enim incitabantur inquisitores, ut in alios haereticos desaevirent, quorum nomina gestaque sibi tunc revelata fuerant.

Delationem vero quamdam ejus generis acceptam fuisse Guillelmus Pelisso memoravit, anno 1236, mense aprili, a Raimundo Grossi Tolosano, haeretico *perfecto,* atque Albigensium sectae viginti duobus annis circiter associato. Quam pluribus diebus vix absolutam Fratres Praedicatores, adjuvantibus quibusdam Tolosae sacerdotibus, conscribere festinaverunt, multosque deinde haereticos tum primum sibi cognitos insectari aggressi sunt [1].

De alia etiam re, ad modum quem in procedendo inquisitores adhibuerunt pertinente, per illud Guillelmi

1. *Chron.*, cod. pp. 14. 15. 16. — Vide etiam de aliorum haereticorum confessionibus. ibid., pp. 5, 8.

Pelisso Chronicon plane commonemur, scilicet qua via rei ad judicium cogantur adesse. Inquisitores autem ad hoc solemni usos fuisse vocatione compertum habemus, cujus profecto plurima exempla Guillelmus Pelisso nobis suppeditavit [1]. Quod si una non suffecisset, alteram vel etiam tertiam imponere consueverant.

Vocationem illam reis indicere jubentur ab inquisitoribus, seu sacerdotes e clero saeculari muneris hujus causa delecti, seu religiosi cujuslibet ordinis Inquisitioni deditissimi. Namque, anno 1235, Guillelmus Arnaldi inquisitor, postquam Tolosa expulsus, quia compluribus hujus urbis nec mediocris status civibus diem dixerat, Carcassonam confugit, vocationem a se ipso primum significatam per capellanos Tolosae prioremque Sancti Stephani iterari mandavit, quumque hac etiam vice res in vanum cesserit, per quatuor Fratres Praedicatores a priore Pontio de Sancto Aegidio delegatos, tertio declarare aggressus est [2]. Quod quidem non aliter, ineunte Inquisitione aut eadem ad summam potestatem evecta, factum fuisse manifestum est, hac videlicet aetate qua Guillelmus Pelisso Chronicon suum, vel illa qua Bernardus Guidonis *Practicam,* scribere susceperunt [3].

Eadem de qua agitur similitudo reperiri potest in hac speciali procedendi ratione, quod *tempus gratie* inquisitores vocaverunt, scilicet reis prolata veniendi in jus die; quam si excessissent, tanquam contumaces omnisque generis poenas meriti habebantur. Illud quidem, jam

1. *Chron.,* cod. pp. 5, 6, 7, 9, 10.

2. Ibid., pp. 10, 11.

3. Vide enim apud *Practicam* formulam illam, cui titulus inscribitur : *Forma alia specialis citandi aliquem crucesignatum, qui dicitur aufugisse.* (Bibl. Tolos., serie I^a^, ms. 267, I^a^ parte, ff. 2 D, 3 A.— Vide etiam ibid., ff. 3 D, 4, 5, 6 A, B, C, etc.)

ab anno 1235, inquisitoribus haud insolitum exstitisse Guillelmus Pelisso retulit, animadvertitque simul reos, quoties, antequam praedictum tempus exiisset, bene et plene culpas suas confessi fuissent, nec exsilio, nec bonorum publicatione, nec muro fuisse mulctatos [1].

Hoc etiam, auctore nostro attestante, manifestum apparet, videlicet inquisitores, jam a principio velut postea sic assuevisse, ut, priusquam definitivam sententiam dicerent, quosdam viros doctrina eruditos vel sapientia notabiles, seu jurisperitos, seu sacerdotes, adhiberent in consilium. Quod quidem in omnibus fere causis, de quibus, ineunte Inquisitione, disceptatum est, reperiri posse videtur, fuitque ab ipso Guillelmo Pelisso notatum de Arnaldo Sancerii, quem, anno circiter 1233, ad ignem damnatum fuisse tradidit [2].

Nec profecto excogitare arduum est, multa alia exempla in testimonium subvenire, quanta in procedendo regularum similitudine diversis aetatibus usi sint inquisitores. Hoc autem caeteris, quae jam exposita sunt, adjiciemus, unde intelligi potest Inquisitionem mira quadam celeritate increvisse, ac praecipuas juris ejus normas ab exordiis fuisse institutas. De libris nempe agitur, qui, licet primis hisce temporibus conscripti fuerunt, reliquis ejusdem generis voluminibus similes admodum exstitisse videntur. Namque notare non omisit Guillelmus Pelisso, confessiones a se ipso, nec non a Petro Cellani atque ab inquisitore quodam, cui nomen Pontio Delmont, anno 1234, in dioecesi Caturcensi receptas, propriis ad hoc libris conscriptas fuisse, ne earum memoria intercideret [3].

1. *Chron.*, cod. p. 9.
2. Ibid., p. 7.
3. Ibid., p. 9.

Res autem, quas adhuc in lucem proferre nobis propositum est, quasi ad ipsam Inquisitionis naturam pertinere satis liquet. Quam quidem praefinitam et paene immutabilem jam ab initio fuisse certum est. Sunt autem aliae res, nec multo minoris, ut apparet, momenti, quae originem suam ex illo tempore traxisse videntur, quod nobis Guillelmus Pelisso describere aggressus est.

Inter quas primum consuetudinem quamdam animadvertendam esse judicamus, inquisitoribus illius temporis usitatissimam, a caeteris contra, qui iisdem successere, fere omnino derelictam, qua scilicet, sedem jurisdictionis suae egressi, vicinas regiones urbesque perlustrare soliti sunt, ut necessaria ad insectandos haereticos indicia undique colligerent. Nempe a Guillelmo Pelisso nobis traditum est, propter hoc, anno circiter 1233, Petrum Cellani atque Guillelmum Arnaldi una Caturcum ac Moissiacum, duobus autem post annis, Guillelmum Arnaldi solum Carcassonam invisisse [1]. Eodem quoque anno, ut videtur, scilicet 1235, Petrum Cellani ac Pontium Delmont totam dioecesim Caturcensem percurrisse, multas urbes castraque paene innumera visitando, seque iisdem tunc associatum fuisse, scriptor noster testatus est [2].

Quod quidem, sicut jam a nobis indicatum est, postmodum inquisitores non imitatos fuisse constat. Nam quum, anno 1242, undecim eorum Avenioneti trucidatis, non sine periculo hoc fieri posse demonstratum fuisset, mox quasi inutile apparuit. Creverat enim in dies laïcorum principum obsequium in Inquisitionem, ita ut reis nulla spes vitandi judicium superesset, quotiescum-

1 *Chron.*, cod. pp. 9, 10.

2. Ibid., p. 9. — Vide etiam de eadem re, p. 14.

que sibi dies dicta fuerat ab inquisitoribus. Nec tamen quandoque longe aliter se rem habuisse omittamus oportet, quum Inquisitioni, nuper quidem constitutae, haereticos saepius obstitisse e Chronico Guillelmi Pelisso cognosci potest.

Anno enim 1235, quum Geraldus de Aniorto, cui simul ac fratribus ejus, Bernardo-Othoni et Guillelmo, dies ab inquisitore Guillelmo Arnaldi dicta fuerat, in jus non venisset, videretque mortem Bernardo fratri proponi, castra sua, Lauracum videlicet atque Aniortum, munivit. Quocirca, regionis illius domini senescallum Carcassonae dehortati sunt, ne Bernardum-Othonem, sicut decreverat, combureret, quoniam bellum inde exoriri posse arbitrabantur [1].

Haec Carcassonae; Tolosae autem Petrus de Malafayra, abbas Sancti Saturnini, quum, adjuvante vicario comitis Raimundi, Durando scilicet de Sancto Barcio, quemdam Petrum-Guillelmum Delort, haereticum insignem, in propria ejus domo deprehendere voluisset, abducere non potuit. Intervenientibus enim quibusdam Tolosae civibus, Petrus-Guillelmus Delort e manibus detinentium evasit, aufugitque paulo post in Lombardiam. Quem quidem inquisitores contumacem declaravere, nec tamen graviori sententia afficere potuerunt [2].

His vero plane edocemur, quot quantisque jactata difficultatibus Inquisitio, ea quam nobis Guillelmus Pelisso ostendit aetate, operi jam viginti annis antea inchoato, scilicet exstirpandae haeresi, incubuerit. Nec jam tum haereticis, sicut facile dijudicari potest, animus civium-

1. *Chron.*, cod. pp. 9, 10.
2. Ibid., p. 9.

que suorum subsidium adeo defuerant, ut inquisitorum jussa minasve dedignari vel etiam per vim repellere quandoque non auderent.

---

§ II

De poenis ab inquisitoribus, testante Chronico Guillelmi Pelisso, irrogatis.

Poenas profecto, quas in haereticos, ineunte tertio decimo saeculo, irrogaverunt inquisitores, genere ac natura cum illo, quem descripsimus, procedendi modo, plane conferendas esse e Chronico Guillelmi Pelisso manifestum est. Exstitere enim, ut ea aetate decebat, videlicet Inquisitione novissime constituta, paucissimae numero simulque saevissimae; quod nemini, inter tantas civium discordias, mirum videbitur. Nec omittamus oportet, easdem tunc tales fuisse, quales postea reperientur, quum, exactis tot annis, adeo increverint.

Indicia vero, quae a Guillelmo Pelisso nobis suppeditata sunt, de poenis inquisitoribus eo tempore usitatissimis, quo ipse haereticorum persecutioni implicatus est, in Chronico ejus paene ubique disseminata apparent. Priori tamen operis parti, in fine scilicet, potissimum subjecta sunt, atque in catalogo quodam haereticorum continentur, quos, anno 1236, post factam a Raimundo Grossi confessionem, ab inquisitoribus Petro Cellani et

Guillelmo Arnaldi condemnatos fuisse scriptor noster retulit. Quorum plerique, nobili genere, summis Tolosae gentibus cognati atque affines fuisse videntur. His quoque pluresadditi sunt, urbes quasdam vicinas, Lauracum, Montemsecurum, Appamias, Lantarium, incolentes [1]. Quos quidem duobus tantum poenis, exhumatione videlicet aut igne, mulctatos fuisse ab auctore nostro accepimus.

Exhumatione autem affecti sunt defuncti, postquam supremum Albigensium sacramentum, id est *haereticationem,* receperunt, fueruntque nihilominus in coemeteriis ab Ecclesia consecratis sepulti, quia eos haeresi deditos exstitisse primum non innotuit. Huic etiam poenae inquisitores apparatum quemdam terribilem atque ad percellendos populi animos excogitatum adjecere, quem Guillelmus Pelisso vivide describere non praetermisit [2].

Exhumatione vero peracta, quo ea atrocior efficiatur, eversio interdum sequitur domus, in qua haereticus obiit, cui exhumatio irrogata est, eamque inquisitores, ut verba ipsa Guillelmi Pelisso usurpemus, *locum sterquilinii* faciunt. Quod Tolosae, si eidem scriptori credamus, anno 1231, a magistro Rollando perpetratum est [3].

Capitalem autem poenam simul cum exhumatione, ea de qua nunc agitur aetate, ab inquisitoribus saepissime fuisse indictam, quum toties in Chronico Guillelmi nostri reperiatur, non dubium est, eamque raro admodum in irritum cecidisse apparet.

1. *Chron.,* cod. pp. 15, 16.

2. Ibid., p. 15. — Vide etiam alia exhumationum exempla, ibid., pp. 3, 9 et pp. 16-19. His autem paginis pars posterior Chronici tota constat, pertinetque ad quamdam sententiam exhumationis ab inquisitore Arnaldo Cathalani Albiæ pronuntiatam, cui obsistere urbis illius cives ausi sunt.

3. *Chron.,* cod. p. 3.

Quibus vero causis aut in cujusnam generis reos maxima illa omnium poena plerumque irrogata sit, non bene liquet. Eam tamen in haereticos sectae suae studio accensos, quibus videlicet *perfectis* nomen inditum est, potissimum fuisse statutam, nemo non judicabit, nec profecto quidquam aliud nobis ostendere videtur opusculum illud, quod nunc excutimus. Sunt autem diversi quoque generis rei, quibus eamdem mortis sententiam indictam fuisse manifestum est. Hos scilicet haereticos dicimus, qui, quanquam certissimis indiciis patefacti sint, fidem suam tamen confiteri obstinate recusaverunt. Qua quidem pertinacia Arnaldum Sancerii nec non Bernardum-Othonem de Aniorto usos fuisse Guillelmus Pelisso retulit, ideoque priorem igni fuisse traditum, licet objecta sibi vehementer infitiaretur, alteri autem inquisitores pepercisse, propter ignaviam duntaxat militum, qui senescallo Carcassonensi, quum Bernardum-Othonem ad mortem ducere decrevisset, subvenire noluerunt [1].

Verumtamen sententias, illa de qua agitur aetate, ab inquisitoribus, quanto apparatu potuerunt, pronuntiatas fuisse non dubium est, in publico videlicet, praesentibus Raimundi comitis vicario multisque aliis nobilissimi status viris, ut factum est, exempli gratia, Tolosae, anno 1233, damnato quodam Joanne Textore [2]. Nec, quanquam de his imperfecta admodum indicia habeamus, ambigi potest jam tum ritus illos usurpatos fuisse, quibus postea *actus fidei,* vel, si vocabulum aliud adhibere velimus, *sermones publici,* constitisse videntur.

Caeteras autem poenas ab inquisitoribus in haereticos irrogatas, prae illis duobus, quae jam expositae sunt,

1. *Chron.,* cod. p. 7 et pp. 9, 10.
2. Ibid., p. 5.

multo minoris fuisse momenti satis apparet. Inter quas exsilium quidem bonorumque publicatio memorata sunt tantum a Guillelmo Pelisso, nec exemplis ab eo comprobantur [1], quum tamen reos bonis suis mulctari, recentiore aetate aut jam ea de qua loquimur, in consuetudinem inquisitoribus venisse, satis superque sit manifestum.

Sunt etiam diversi omnino generis poenae, quas, tametsi, exeunte tertio decimo saeculo potius quam ineunte, haereticis indictae sunt, Guillelmus Pelisso memorare non omisit, *murum* scilicet, quem re ipsa semel ab eo notatum fuisse fatemur. Namque, Guillelmum de Aniorto Carcassonae in custodia retentum invenimus, postquam haeresim, non sponte quidem, confessus fuerat.

De crucibus quoque mentionem, et eamdem plane lucidam habemus, simulque nobis indicatum est, reos, quoties poena illa mulctati sunt, ad *passagium transmarinum,* id est peregrinationem in Palaestinam, insuper fuisse damnatos. Tolosae enim, anno circiter 1230, multos haereticos congregatos fuisse Guillelmus Pelisso retulit, qui, quum jam crucesignati essent, proficiscendi tempus in illa urbe exspectabant [2].

De haereticis tandem fugitivis ac contumacibus quum nos Pelisso edocere non omiserit, eos utique damnatos fuisse, non enuntiata tamen poena, tradidit. Quod si judicandi normas consideremus, quales, illa fere de qua disceptamus aetate, observaverint duo celeberrimi inquisitores, Bernardus de Caucio scilicet atque Johannes de Sancto Petro, bonorum publicationem in ejusmodi reos plerumque irrogatam fuisse non dubitamus [3]. Quidquid

1. *Chron.,* cod. p. 9.
2. Ibid., p. 5. — Vide etiam, p. 6.
3. Vide Bibl. nat., ms. lat. 9992, passim.

est, fugitivos quosdam ac contumaces, qui tunc exstiterint, in illo, quod nunc scrutamur, opusculo memoratos invenimus, inter quos Petrus-Guillelmus Delort a nobis jam notatus est, quem comitis Tolosani vicarius frustra deprehendere tentavit [1].

Illa quidem indicia, de poenis eo tempore ab inquisitoribus in haereticos usurpatis, brevissima esse non infitiamur. Nec tamen, nostro saltem judicio, ex his perspici posse quisquam non judicabit, quanta, ineunte tertio decimo saeculo, inter se Romana ecclesia atque haeresis saevitia decertaverint. Nam, quum inquisitores in haereticos igne aut exhumatione tantummodo, poenis videlicet inter caeteras atrocissimis, usi sint, furorem utrinque quasi immaniter exarsisse non dubium est.

1. Nec aliter de Geraldo de Aniorto deque ejus matre res cessisse videntur; qui quidem, postquam se in castra sua receperunt, omnes inquisitorum minas, quanquam ab eis saepius in jus vocati, contempsere.

---

§ III

De quibusdam causis, inter caeteras quae in Chronico Guillelmi Pelisso enarratae sunt, notandis; de inclytis quibusdam inquisitoribus; de moribus haereticorum.

Iis, quae jam e Chronico Guillelmi Pelisso, de modo procedendi atque de poenis ab inquisitoribus plerumque usurpatis, excerpta sunt, nonnulla adjicere decrevimus, quae ad hanc potissimum dissertationis nostrae partem pertinere videbantur.

Causas primum aliquot notabimus, quas, quoniam scriptor noster de illis fusius disseruerit, documento esse arbitramur, quibusnam juris regulis inquisitores, ineunte tertio decimo saeculo, stare consueverint.

Controversiam scilicet illam non omittendam esse judicamus, quam, anno circiter 1230, Tolosae, inter Bernardum Pictavini atque Bernardum de Solario exortam fuisse Guillelmus Pelisso retulit. Hanc autem Raimundus de Miromonte, ejusdem urbis episcopus, per sententiam a se latam diremit, qua civili consulum jurisdictioni omnino derogavisse videtur. Inde etiam perspici

potest, quibus discordiis, nondum abolita haeresi jamque increscente haereticorum persecutione, Occitaniae civitates tunc temporis turbatae sint [1].

Nunc autem tres lites commemorare volumus, natura profecto penitus diversas, aequaliter tamen, ut nos arbitramur, notabiles.

Quarum primam Arnaldo cuidam Sancerii intendere aggressus est prior Fratrum Praedicatorum Tolosae, Pontius scilicet de Sancto Aegidio, propter recepta in eum indicia ; quumque illa falsa esse tantum affirmaverit reus, nec quidquam aliud ad excusationem suam proponere potuerit, igni traditus est comburendus, licet populi misericordiam vehementer efflagitaverit [2].

Secundam vero litem, controversiis certe, ut videtur, satis implicatam, Joanni Textori illatam fuisse Guillelmus Pelisso narravit. Nam, quum reus ille capite damnatus fuerit, supplicio ejus tamen, commotis non mediocriter Tolosae civibus, supersedendum esse visum est. Sed, postquam a quibusdam haereticis compulsus, qui secum in carcere detinebantur, fidem Albigensium amplexus est, nec ipsam palam confiteri dubitavit, tunc eum inquisitores, nullo obsistente, imo civitate voce unanima apostatam exsecrante, ad ignem traxerunt [3].

Tertiam denique litem, quam notari operae pretium fore non ambigimus, Carcassonae, anno 1235, dominis de Aniorto a Guillelmo Arnaldi, senescallo illius urbis adjuvante, intentatam fuisse constat. Quam quidem propemodum juxta legitimas juris regulas, non ea, quam saepius usurpaverunt, festinatione, ab inquisitori-

1. *Chron.*, cod. pp. 4, 5.
2. Ibid., p. 7.
3. Ibid., pp. 5, 6.

bus fuisse tractatam apparet; nec profecto sine causa, quum et reorum nobile genus, et ignaviam militum hujusce regionis, qui tunc Inquisitioni parum auxiliaturi videbantur, minime respicere non liceret [1].

Verumtamen, praeter illa, quae ad modum procedendi pertinent, quo inquisitores in judicandis damnandisve haereticis usos fuisse compertum habemus, alia quoque indicia Chronicon Guillelmi Pelisso nobis suppeditat, per quae historiae Inquisitionis lumen adhiberi potest. Haec sine dubio nunc notanda esse arbitramur, consistuntque nominibus quorumdam inquisitorum inter caeteros, nisi fallimur, spectabilium.

Qui quidem inquisitores octo numero exstitere, nec propriam unicuique eorum mentionem denegandam esse aestimamus, quoniam primi omnium Inquisitioni, ea ipsa aetate qua in Occitania a summis pontificibus constituta est, praefuerunt. Dignitate tamen vel auctoritate haudquaquam pares fuisse videntur, quum tribus eorum inquisitoris nomen non sit proprie concedendum. Fuerunt enim ii, de quibus agitur, tantummodo, ut apparet, inquisitorum vero ac legitimo munere fungentium socii vel assessores. Quo quidem ministerio ornatos fuisse constat, magistrum Guillelmum de Lombers, Albiae, anno circiter 1233, insectandis haereticis, una cum Arnaldo Cathalani occupatum [2], fratremque Pontium Delmont, Petro Cellani ad dioecesim Caturcensem perlustrandam, anno circiter 1235, associatum [3], ac tandem ipsum Guillelmum Pelisso, sicut testari non omisit.

Quibus exceptis, aequalem profecto inter inquisitores

1. *Chron.*, cod. pp. 9, 10.
2. Ibid., p. 6.
3. Ibid., p. 9.

cujuslibet aetatis locum caeteris tribuendum esse non dubitamus, quum exercendae Inquisitioni diligentiam quasi invictam omnes impenderint, fuerintque duo ex illis, Guillelmus Arnaldi scilicet, Montispessulani natus [1], fraterque de Sancto Tiberio, ex ordine Minorum [2], Avenioneti, anno 1242, dum muneri suo vacarent, crudelissima morte mactati, vel, nisi admirantibus eos succenseamus, martyrio decorati.

Reliquos autem non minori fama dignos exstitisse manifestum est. Quorum primus, Petrus Cellani videlicet, natus Tolosae, familiaque illius urbis, ut videtur, insigni oriundus, ordinem Fratrum Praedicatorum ab exordiis ejus ingressus, beati Dominici socius atque amicus valde familiaris, Inquisitionem, postquam a Gregorio nono, anno 1233, constituta est, propriis fere auspiciis inchoavisse videtur, quum ipse ac Guillelmus Arnaldi ante omnes in hac parte Galliae inquisitoris munus obtinuerint [3].

Nec Petro Cellani imparem fuisse judicamus Arnaldum Cathalani, de conventu Fratrum Praedicatorum Tolosae; imo paucissimos inquisitores tanta saevitia in haereticos flagravisse manifestum est, vel asperum aeque populi odium in se concitavisse, sicut, anno 1234, rebellante in eum urbe Albia, apparuit, ita ut tunc periturus jam visus sit [4].

De tertio autem illorum inquisitorum, quos hic memorari non supervacuum fore credidimus, de fratre Ferrario scilicet, pauca a Guillelmo Pelisso tradita sunt,

1. *Chron.*, cod. p. 3.
2. Ibid., p. 14.
3. Ibid., p. 3.
4. Ibid., pp. 16-19. — Vide etiam, pp. 3, 4.

sed quae eum haereticis pertimescendum fuisse eo melius demonstrent, quod de eodem Bernardus Guidonis non aliter locutus sit. Illum nempe, circa Perpinianum natum, quasi terribilem nomini suo famam Narbonae atque Albiae, nec non in toto Lauragesio, consecutum fuisse haud dubium est [1].

Illos vero omnes inquisitores, quorum nomina a nobis notata sunt, diligentia praesertim et odio in haereticos quasi inexpiabili innotuisse apparet. Namque Petrum Cellani atque Guillelmum Arnaldi, praecipuos scilicet eorum videmus, perlustrandis circa Tolosam locis semper occupatos, ut latentes adhuc sibi Albigenses deprehenderent, constitutosque in judicio tandem condemnarent [2].

Percursationibus autem illis inquisitorum certos quodam modo fines fuisse indictos, et quasi dioeceses Inquisitionis jam ea aetate exstitisse haud dubium est. Anno enim 1233, postquam Petrus Cellani Guillelmusque Arnaldi a summo pontifice Gregorio nono inquisitores creati sunt, dioecesi Tolosanae ac Caturcensi tantum eos fuisse praepositos expresse significatum invenimus [3]. Quod quidem non semper ab inquisitoribus observatum fuisse constat, sicut, dominis de Aniorto Carcassonae in jus a Guillelmo Arnaldi vocatis, dijudicare licet.

Nunc vero, expositis quae de modo procedendi poenisque inquisitoribus usitatis indicari posse visa sunt, pauca de haereticorum moribus subnectenda arbitra-

1. In illo quoque bibliothecae Tolosanae codice, cui Bernardi de Caucio et Joannis de Sancto Petro acta, ut supra notavimus, inscripta sunt, plurima de fratre Ferrario reperiuntur, e quibus multos inter Carcassonam et Tolosam locos ab eo perlustratos fuisse liquet.

2. *Chron.*, cod. pp. 6, 9, 14.

3. Ibid., p. 3. — Vide etiam, p. 9.

mur. Nempe, quum in illo auctoris nostri opusculo, quid deliquerint Albigenses fere nusquam indicetur, quaedam tamen reperimus, unde eorum mores fidesque simul in lucem proferri possunt. Quae quidem, etsi quasi avare a Guillelmo Pelisso nobis tradita fuerint, minime tamen omittere velimus, quia, ad historiam sectae usque ad hanc diem paene ignotae explanandam, cuncta interesse nemo est qui neget.

Castitatem inprimis notabimus, cui se fidei Albigensium inter haereticos deditissimi, *perfecti* scilicet, astringere soliti erant. Namque Joannes Textor, quum ab inquisitoribus in jus vocatus fuisset, defendendi sese causa, clamitare : *Domini, audite me. Ego non sum haereticus, quia uxorem habeo, et cum ipsa jaceo, et filios habeo.....* Nec profecto Tolosae cives haec stolide dicta fuisse judicaverunt; imo, seditione paene exorta, querebantur multi eorum vehementer, quod probis hominibus et conjugatis haeresis crimen sic inferri posset [1].

Alterum vero indicium de Albigensium moribus nobis tradidit Guillelmus Pelisso, scilicet ipsos cum haereticis Lombardiam incolentibus perpetuo commercio conjunctos fuisse, atque in eam regionem, si quando e manibus inquisitorum evasissent, confugisse. Qua quidem salutis via plurimos reos, quorum nomina, memorante scriptore nostro, accepimus, usos fuisse retulit [2]. Nec aliter, tertio decimo saeculo, ingravescente in dies persecutione, res semper cessisse videntur, quum, cuidam aetatis illius codici [3] si credamus, haereticorum quasi colonias ex Oc-

1. *Chron.*, cod. p. 5.
2. Ibid., p. 6.
3. Tolosae, in Archivis dictis *de la Haute-Garonne,* codex ille asservatur.

citania in Lombardiam migravisse atque ibidem vixisse compertum habeamus [1].

1. Vide in hoc supradicto codice haeretici cujusdam confessionem, cui titulus : *Confessio Guillelmi Furnerii, de Tolosa, conversi.* (F° CCI.)

---

§ IV

Quomodo in Inquisitionem clerus regularis vel saecularis, testante Chronico Guillelmi Pelisso, se gesserit.

Jam vero, postquam Inquisitionem in haereticos saevientem satis perspeximus, quomodo eadem ab exordiis suis in Occitania excepta sit, quantum fieri potest, dijudicare suscipiamus. Qua quidem constituta, totam illam Galliae regionem in duas partes statim discessisse manifestum est, quum inquisitoribus subvenire clerus utique non dubitaverit, laïci autem saepius eorumdem ministerio obsistere sint aggressi.

Fratres autem Praedicatores primum inter fautores Inquisitionis locum obtinuisse nemo est profecto qui miretur. Namque, illorum praeclarissimos inquisitoribus totis viribus auxiliatos fuisse certum est. Quod quidem fecisse Pontium de Sancto Aegidio, conventus Tolosani priorem [1], multosque alios Fratres Guillelmus Pelisso retulit, notavitque nonnullos eorum sermonibus suis in

1. *Chron.*, cod. p. 3. — De Pontio de Sancto Aegidio idem prorsus testatus est Bernardus Guidonis.

haereticos desaeviisse, e quibus potissimum fratrem Mauritium eloquentia, nec non, si aequalibus ejus credamus, miraculis inclaruisse apparet [1].

Quin imo pertinaciam inquisitorum totus ille ordo, si forte ea languescere videretur, exhortationibus suis fovere [2], atque eisdem ad insectandos haereticos periculosum quandoque adjumentum suppeditare consuevit. Nempe, anno 1235, Fratres Praedicatores quatuor, inter quos scriptorem nostrum, ipso referente, annumerandum esse accepimus, praepotentes quosdam Tolosae haereticos, mandante e Carcassona Guillelmo Arnaldi, in jus vocare susceperunt, non quidem sine vitae discrimine, quum mortem consules cuilibet munus illud aggressuro minati essent [3]. Nec propter hoc Fratres vel paulisper haesitavisse apparet. *Ipsi vero,* ut ait Guillelmus noster, *bene confessi, et a priore ab omnibus peccatis suis generaliter absoluti, ut filii obedientiae, obedientiam illam viriliter et gratanter acceperunt, et diligenter et impavide compleverunt, ita scilicet quod non sufficiebat eis quaerere illos per plateas et domos suas, sed usque ad interiora cubicula quaerebant eos* [4].

Verumtamen, non ideo tantum de Inquisitione bene meritos fuisse Fratres Praedicatores arbitrandum est. Nam, quum judicandis damnandisque haereticis conventus sui claustrum saepius praebuerint, sicut in illa Joannis Textoris lite notatum exstitit [5], ipsi quoque interdum Albigenses persequi nec non eos poenis afficere suscepe-

1. *Chron.*, cod. p. 4. — De fratre Mauritio vide etiam Geraldum de Fracheto (bibl. Tolos., ms. 191, 1ª serie, fº 34 C), et Percin (*Monum.*, p. 54, nº 14).

2. *Chron.*, cod. p. 10.

3. Ibid., eadem pag.

4. Ibid., p. 11.

5. Ibid., p 5.

runt. Anno enim 1236, postquam, derelicta haeresi, Raimundus Grossi *perfectus* ad ecclesiam Romanam reversus est, non unius profecto cujuslibet inquisitoris voluntati, sed omnium Fratrum Praedicatorum, semet ipsum jam permissum fuisse professus est, fidemque ejus ac primam confessionem subprior conventus Tolosani, Guillelmus Bonisolatii, recipere properavit. Quod si quis illud tantummodo ad principia litis, non ad litem ipsam pertinere contendat, litis cujusdam exemplum habemus, qua reum, Arnaldum videlicet Sancerii, a Pontio de Sancto Aegidio, inquisitoris munus nunquam adepto, interrogatum damnatumque fuisse Guillelmus Pelisso retulit [1].

Ea autem aetate, qua inquisitoribus Fratres Praedicatores strenue adeo subvenisse apparet, iisdem non mediocre adjumentum ab Universitate Tolosana, nuperrime condita, suppeditatum fuisse accepimus. Nempe Guillelmus Pelisso : *Missi etiam fuerunt tunc Tolosam,* aït, *quam plurimi magistri de Parisius scholares, ut studium theologiae ibi fieret, et fides doceretur ibidem nec non scientiae liberales. Nec hoc valebat ad haeresim extirpandam; imo haereticales homines expugnabant eos ex adverso, et insolita audientes ab eis multipliciter deridebant* [2].

Sed non ea tantum de Universitate Tolosana tradidit scriptor noster. Quin etiam trium magistrorum in theologia nomina in opusculo suo notavit, quibus fidei Romanae in Occitaniam restituendae munus commissum fuerat, Rollandi videlicet Cremonensis, e Parisiis Tolo-

1. *Chron.*, cod. p. 7.
2. Ibid., pp. 1, 2.

sam, anno circiter 1230, arcessiti, Joannisque de Sancto Aegidio, Rollandi in locum, duobus fere post annis, suffecti, ac tandem fratris Laurentii, quem Joanni de Sancto Aegidio, anno 1235, successisse compertum habemus.

Ex illis autem tribus Universitatis Tolosanae magistris, quum Joannem de Sancto Aegidio, haereticorum persecutioni haudquaquam implicatum fuisse, referente saltem Guillelmo Pelisso, appareat, de fratre Laurentio ac praesertim de Rollando Cremonensi, omnium sane in Albigenses acerrimo, res aliter prorsus cessisse videntur. Hunc enim, Fratribus Praedicatoribus ac clero Tolosano, nec non quibusdam e plebe congregatis, bis se ducem praebuisse reperimus, ut sententia exhumationis a se ipso lata absolveretur [1]. Eumdem etiam saepius in haereticos summa vehementia praedicavisse Guillelmus Pelisso retulit, quumque de hoc consules apud priorem Fratrum Praedicatorum conquesti essent, se nullo modo cessaturum affirmavisse, quin imo caeteros Fratres, ut idem facerent, fuisse exhortatum [2].

Quod autem ad fratrem Laurentium pertinet, etsi de illo in Chronico Guillelmi Pelisso semel tantum mentio facta sit, eum pertinacia Rollando non imparem exstitisse judicari potest. Nam quum, exeunte anno 1235, Tolosae consules Fratres Praedicatores ex urbe ejicere decrevissent, ille atque Arnaldus Cathalani jubentibus conventum deserere se non obtemperaturos declaravere seque humi prostraverunt. Quos quidem Raimundus Rogerius, unus consulum, ac quidam alii per caput et pedes arreptos violenter extraxerunt [3].

1. *Chron.*, cod. pp. 2, 3.
2. Ibid., p. 2.
3. Ibid., p. 13.

Illa profecto, quae de Universitate Tolosana a Guillelmo Pelisso nobis tradita sunt, magni aestimanda esse nemo est qui non credat. Verumtamen, quum de Universitatis illius exordiis parum moneamur, eam propter has controversias praecipue, quibus studia omnino intercepta fuisse credibile est, toto fere quo constituta est saeculo, minime processisse apparet.

Nec se Fratribus Praedicatoribus atque Universitate Tolosana ad insectandos Albigenses frigidiorem aut Inquisitioni minus deditum, saecularem clerum praestitisse constat. Quum enim Inquisitio nondum adeo increverit, ut prisca praesulum Ecclesiae jura in haereticos, sicut postmodum accidit, evertere susciperet, potiusque Albigensium audaciam retundere videretur, inquisitoribus totis viribus favere episcopi atque abbates non dubitaverunt.

Quod quidem, testante Chronico Guillelmi Pelisso, semper evenisse reperimus. Namque, exempli gratia, Raimundum de Falgario, episcopum, adjuvantibus sibi inquisitoribus Fratribusve Praedicatoribus, utique in haereticos saeviisse manifestum est. De illa scilicet, quae ad eum delata est a Bernardo Pictavini controversia, quum ipse tanquam judex consederit, postulatoris defensores se praebuisse Petrum Cellani atque Guillelmum Arnaldi apparet [1]. De lite autem dijudicanda, quae in Joannem Textorem instituta est, eumdem cum inquisitoribus quasi in consortio fuisse invenimus, quum illi reum in jus vocando, atque testificantium de eo dicta recipiendo, causam inchoavisse [2], ipse autem inchoatam

1 *Chron.*, cod. p. 5.
2 Ibid., ut supra.

una cum Fratribus Praedicatoribus exsecutus fuisse, ac tandem per sententiam diremisse, visi sint [1].

Eodem quoque tempore, Tolosae in carcere episcopi detentos fuisse suspectos a Guillelmo Pelisso nobis traditum est, qui, exposcentibus inquisitoribus, a vicario comitis Raimundi deprehensi fuerant [2]. Nec aliter, aetate illa, res ubique cessisse procul dubio est. Albiae enim, anno 1234, in curia episcopi latam fuisse ab Arnaldo Cathalani exhumationis sententiam, qua tota urbs commota est, eamque perficiendi munus ejusdem curiae bajulo fuisse commissum invenimus [3].

Una autem cum inquisitoribus atque episcopis, minoris quoque gradus clericos haereticorum persecutionis, licet non adeo acriter, participes tamen exstitisse manifestum est. Illos enim inquisitoribus tanquam ministros potius quam consessores associatos fuisse manifestum est, quum, jubentibus Inquisitionis judicibus, reos in jus vocare, sicut, anno 1235, capellanis Tolosae a Guillelmo Arnaldi, tunc ab urbe illa fugitivo, mandatum est [4], aut causarum ultimam disceptationem parare, a testibus indicia recipiendo, caeteraque exsequendo, per quae sententiae praeluditur, debuerint [5]. Quin imo iisdem, de quibus loquimur, clericis, in Inquisitione exercenda vel humiliores impositas fuisse partes apparet. Namque illos inquisitoribus, honoris vel subsidii causa, comites fuisse, aut etiam, adjuvantibus laïcorum principum ministris, suspectis, si qui indicati fuissent, manus injecisse cons-

1. *Chron.*, cod. p. 6.
2. Ibid., pp. 5, 6.
3. Ibid., pp. 16, 17.
4. Ibid., p. 10.
5. Ibid., p. 8.

tat. Quod profecto saepius summis cleri praesulibus, episcopis dignitate paene adaequandis, ut Petro de Malafayra, Sancti Saturnini abbati, haud indignum visum fuisse accepimus.

Hoc igitur modo in Inquisitionem, significante Guillelmi Pelisso Chronico, tunc temporis saecularis clerus se gessisse videtur. Nec aliter postea evenisse compertum habemus, quum haereticos ab episcopis simul et inquisitoribus judicatos condemnatosque fuisse, capellanos autem inquisitoribus quasi apparuisse, omnes denique, paucissimis eorum exceptis, Inquisitioni saepius subvenisse sit manifestum, qua auctoritatem suam restitui potius quam imminui arbitrabantur.

Nunc vero, quemnam in Inquisitionem animum summi pontifices habuerint, breviter ostendendum esse judicamus. Qua de re, quum scriptor noster indicia, licet non copiosa, satis expressa tamen, nobis suppeditaverit, facile animadverti potest Inquisitioni fautoribusque ejus summos pontifices penitus annuisse. Nempe, anno 1235, postquam, Fratribus Praedicatoribus Tolosa ob nimium erga inquisitores studium ejectis, Pontius de Sancto Aegidio Romam petiit, ut de illata ordini suo injuria apud Gregorium nonum conquereretur, hunc statim Raimundo comiti mandavisse accepimus, ut Fratres Praedicatores Tolosam reduceret, sineretque inquisitores in terris suis munere proprio fungi, atque etiam iisdem posthac subsidium se laturum promitteret[1].

Quod si Inquisitionis a se nuperrime constituae fautores vel ministros summi pontifices acriter adeo defenderint, ipsorum legatos quasi inter inquisitores annume-

1. *Chron.*, cod. p. 12.

randos fuisse procul dubio est. Nempe a Guillelmo Pelisso nobis traditum est, Tolosae, anno 1233, nonnullos haereticos exstitisse a Romano, Sedis apostolicae legato, condemnatos [1]. Alium quoque legatum, Viennensem scilicet archiepiscopum, quorumdam Albigensium judicio aut etiam supplicio, quo majore Inquisitionis verecundia populus percelleretur, interfuisse apparet [2].

Quae quidem haudquaquam miranda esse judicamus, quum plurimis ejusdem generis exemplis comprobata sint, atque praeterea quasi rerum naturae omnino conjuncta esse videantur. Hoc vero a summis pontificibus minus exspectatum forsitan exstitisse multi aestimabunt, videlicet eos, quanquam Inquisitionem ab impedientibus eam tueri animose decreverint, ipsi tamen nullo modo indulsisse, si quando erravisse inquisitores, aut etiam aliquid graviter deliquisse manifestum fuerit. Anno enim 1235, quum, exhumatis aut igne damnatis quibusdam haereticis, commoti cives Tolosae Raimundum comitem rogavissent, ut inquisitores a persecutione paulisper desistere hortaretur, nec illi concessissent, tunc apud legatum conquestus est comes. Legatus autem, postquam, ut videtur, culpam penes inquisitores esse cognovit, ne Petrus Cellani in Tolosana dioecesi munere suo posthac fungeretur, Caturcensi tantum dioecesi eidem relicta, prohibuit [3].

Hoc sane notabile prorsus esse nemo infitiabitur; licet in historia Inquisitionis haud inauditum exstiterit, nec etiam quodam modo mirum judicari debeat. Namque, ut hujusce rei causas scrutari omittamus, non

1. *Chron.*, cod. p. 5.
2. Ibid., p. 16.
3. Ibid., p. 9.

aliud profecto a summis pontificibus exspectandum fuisse arbitramur, quos profecto, utilitatis suae causa saepius, nunquam autem animi impotentia, saevitia usos fuisse constat.

---

§ V

Quomodo in Inquisitionem laïci principes civilesque magistratus, significante Chronico Guillelmi Pelisso, se gesserint.

Postquam favorem, quo Inquisitioni religiosos ordines clerumque saecularem, nec non summos pontifices atque eorum legatos subvenisse manifestum est, ostendimus, de laïcorum principum odio in eamdem pauca dicenda esse arbitramur. Quod profecto, etsi indubitatum prorsus aestimari debeat, haudquaquam tamen favori, quem diximus, aequiparandum fuisse videtur, quum non acriter adeo vel perpetuo exarserit, imo potius quasi ignavia et segnitia impugnantium Inquisitionem, sicut accepimus, ad irritum plerumque ceciderit.

Illius autem odii, quamvis multas causas exstitisse appareat, inter praecipuas notandum fuisse judicamus contemptum illum, quo in laïcos principes civilesque magistratus inquisitores semper usos fuisse compertum habemus. Namque, anno circiter 1230, monito a consulibus Tolosae priore Fratrum Praedicatorum de nimia quorumdam e monachis suis, quoties ad populum dice-

bant, vehementia : *Certe nunc oportet,* aït magister Rollandus, *quod nos magis ac magis contra haereticos et eorum credentes praedicemus* [1]. Nec aliter quoque, anno 1235, evenisse reperimus, quum scilicet iidem consules Guillelmo Arnaldi mandaverint, ut quosdam cives in jus vocare absisteret, aut exiret ab urbe, eumque hortati sint Fratres Praedicatores, ut jubentibus non obsequeretur, imo acrius, si fieri posset, in haereticos desaeviret [2]. A Guillelmo autem Arnaldi, postquam mox Tolosa expulsus Carcassonam se recepit, consules statim tanquam fautores haereticorum excommunicatos fuisse Guillelmus Pelisso tradidit [3].

Verumtamen, contemptum illum, quo inquisitores in laïcos semper usos fuisse notavimus, longius multo processisse non dubium est, quum saepius civilium judicum sententias corrigere aut jura praecipere non dubitaverint, sicut e controversia inter duos Tolosae cives, Bernardum videlicet Pictavini atque Bernardum de Solario exorta, judicari potest. Nam, postquam Bernardum Pictavini consules pecunia atque exsilio primum mulctaverunt, quia Bernardum de Solario haereticum vocaverat, ille, suadentibus Fratribus Praedicatoribus, ad episcopum provocavit. Episcopus autem, cognitione causae, quasi ea ad fidem pertineret, continuo excepta, Bernardoque Pictavini omni crimine absoluto, Bernardum de Solario condemnavit, atque in Lombardiam aufugere coëgit [4].

Haudquaquam merito tamen inquisitores sic sese in civiles magistratus gessisse apparet, quum illi primum

1. *Chron.,* cod. p. 2.
2. Ibid., p. 10.
3. Ibid., p. 11.
4. Ibid., pp. 4, 5.

nullo modo persecutioni obsistere decreverint, imo Inquisitioni saepius non recusaverint auxiliari. Raimundum enim comitem, pace, anno 1229, inter eum regemque Franciae composita, a Guillelmo Pelisso accepimus, pollicitum fuisse se daturum, si quis haereticum vel haereticam cepisset, per quinquennium duas marchas argenti, et post quinquennium unam tantum. Quod quidem saepius factum fuisse scriptor noster, etsi Raimundo parum faveat, retulit [1]. Quin etiam praecipuos ejusdem comitis ministros inquisitoribus Fratribusque Praedicatoribus in haeresim animose subvenisse satis liquet. Namque Durandum de Sancto Barcio, vicarium, Sancti Saturnini abbati auxiliatum fuisse, unaque cum eodem castra et urbes circa Tolosam perlustravisse, quo contumaces haeretici facilius deprehenderentur [2], nec non inquisitoribus, quoties sententias suas pronuntiabant, adfuisse, imo condemnatos ab eis haereticos propria manu ad mortem duxisse, reperimus [3].

Sic profecto in Occitania, quam videlicet inquisitores aut etiam summi pontifices haeresi penitus deditam esse crediderunt, laïcos principes Inquisitioni nec adversos exstitisse, nec non subvenisse constat. Quo pacto igitur fieri potuit, ut in eosdem inquisitores totusque saecularis clerus adeo infensos se praebuerint? Rem quidem miram fuisse non diffitemur, nisi hoc attendere caveamus, obsequium videlicet inquisitoribus a laïcis principibus non

1. *Chron.*, cod. p. 4.
2. Ibid., pp. 8, 9.
3. Ibid., pp. 5, 7, 8. — Vide etiam, p. 6, qua in Inquisitionem diligentia usus sit alius ejusdem Raimundi minister, bajulus Vauri scilicet, cui nomen G. de Manso.

caecum omnino nec absolutum ministratum fuisse. Quod sane inquisitores molestum admodum judicavisse apparet. Nempe, quum, anno 1235, sicut notavimus, Raimundus comes eos de quibusdam, satis modeste tamen, ut videtur, monere ausus sit, preces ejus iracundius rejectae sunt [1].

Illo autem contemptu atque odio inquisitores non frustra usos fuisse manifestum est, gravisque inde exorta est aliquando laïcorum principum inimicitia, qua quidem praeteritum eorumdem obsequium penitus abolitum fuisse videtur, ita ut illos Inquisitioni saepius obstitisse, nunquam forsitan vere favisse, sit arbitrandum. Hanc autem inimicitiam, anno potissimum 1235, si Guillelmo Pelisso credamus, prorupisse apparet, quum tandem ab inquisitoribus diutius acriusque lacessiti laïci principes civilesque magistratus injurias ulcisci aggressi sint, atque Inquisitionem ejusque fautores simul oppresserint.

Namque, duodecim Tolosae civibus, nec mediocris status, ut videtur, in jus a Guillelmo Arnaldi vocatis, postquam ille omni accusatione in eos desistere noluit, ex urbe ejectus est. Quum vero e Carcassona, quo se receperat, inquisitor capellanis Tolosae mandavisset, ut jam citatis a se ipso diem iterum dicerent, idque exsecuti fuissent protinus, ipsi quoque expulsi sunt [2], tandemque a consulibus capite sancitum est, ne quis posthac tale a Guillelmo Arnaldi munus acciperet [3].

1. *Chron.*, cod. p. 9.

2. Ibid., p. 10. — Consules autem Tolosae multa habuisse apparet, quod capellanis, de quibus agitur, succenserent. Vide de hoc instrumentum quoddam, illo eodem anno 1235, ut videtur, exaratum, cui titulus : *Articuli super exactionibus capellanorum Tolosae.* Huic scilicet instrumentorum collectioni insertum est, quae inscribitur : *Layettes du Trésor des Chartes* (t. II, n° 2428, orig. lat., in extenso).

3. *Chron.*, cod. p. 10.

Ut vero primum in Inquisitionem exorta est rebellio, fautoribus ejus nulla jam spes veniae remansit. Tolosae enim episcopus nec non Sancti Saturnini canonici urbem deserere coacti sunt, quoniam a consulibus, proposita morte, prohibitum fuerat, ne quis alimenta eis ministrare auderet, periculumque esset ne inedia morerentur. Idem quoque de Fratribus Praedicatoribus vetitum est, frustra tamen, quum viginti prope diebus a fautoribus suis sustentati sint, quamvis, ne id fieret, custodes a consulibus circa conventum collocati fuissent [1]. Tum denique, increscente quasi in dies Fratrum audacia, ipsi quoque Tolosa expulsi sunt. Jubente enim iterum Guillelmo Arnaldi, quum religiosi quatuor eosdem suspectos, velut prius capellanis mandatum fuerat, in jus vocare aggressi sint, consules tandem, quinta novembris die, ingenti plebis multitudine stipati, conventum Fratrum Praedicatorum occupavere, extractosque per vim Fratres ultra muros urbis ejecerunt [2].

Illam quidem ex inquisitoribus ultionem a laïcis magistratibus petitam fuisse, propter illatas sibi injurias, reperimus. Nec tamen ipsis tale hoc decretum fuisse apparet, nisi post longum tempus, servataque semper quadam moderatione. Nam, priusquam Tolosa Guillelmum Arnaldi consules expellerent, permiserunt ut, seu Inquisitioni supersedere, seu ex urbe ejici, mallet; jamque eum ejecturi protestati sunt, se non prohibituros ipsum Tolosae sicut caeteros Fratres remanere, dummodo nihil postea se in quemlibet tentaturum esse polliceretur [3].

1. *Chron.*, cod. pp. 10, 11.
2. Ibid., pp. 10-13.
3. Ibid., p. 10.

Quod si erga inimicos, nec mediocriter quidem infensos, tam moderate civiles illi magistratus se gesserint, haudquaquam ab inquisitoribus fautoribusque eorum parem gratiam relatam fuisse nemo infitiabitur, aut populum e contrario saevitia usum fuisse mirum judicabit, quamvis, nisi inquisitoribus confidimus, Occitaniae ac praesertim Tolosae cives nullo modo haeresi Albigensium dediti, nec etiam Inquisitioni adversi exstitisse visi sint.

Jam enim supra notatum est, quo studio Tolosani, propositis tamen gravioribus poenis, Fratribus Praedicatoribus subvenire non dubitaverint, postquam illi, propter edicta consulum, inedia laborare coeperunt. Litem vero, quae Joanni Textori illata est, si inspiciamus, apparet, populum reo favisse, quamdiu ille crimine immerito opprimi visus est, eumdem contra ab ipso, ubi haeresis manifestus per propriam confessionem evasit, derelictum fuisse [1]. Ea enim aetate, de qua, testante Guillelmi Pelisso Chronico, edocemur, Albigensibus impavide auxiliatos fuisse tantummodo cives genere atque opibus praestantissimos certum est, quoniam iidem plerumque in fidei consortio cum haereticis exstiterint.

Occitaniae tamen populum nonnunquam in inquisitores graviter rebellavisse accepimus; nec ideo inconstantis animi vitium jure illi exprobrandum fuisse arbitramur, quum potius suopte quasi ingenio ex amico inimicissimus factus sit. Nam, postquam, combustis aut exhumatis quibusdam haereticis, commotus misereri primum coepit, mox aperte indignari, tum demum in inquisitores invehi nec non iisdem minari ausus est. Quod quidem

1. *Chron.*, cod. pp. 5, 6.

Tolosae ter quaterve accidisse a Guillelmo Pelisso traditum est [1].

Quin imo crevisse iram non dubium est, postquam civium opem, quum ad mortem traherentur, condemnati vehementer imploraverunt. *Videte omnes,* clamitabat Arnaldus Sancerii, *quam injuriam faciunt mihi et villae, quia ego bonus christianus sum et credo fidem Romanam* [2]. Nec acriter minus Joannes Textor : *Domini, audite me,* aïebat. *Ego non sum haereticus..., et fidelis sum christianus. Ideo non sustineatis ita mihi dici, quia Deum bene credo. Et ita vobis poterunt objicere sicut mihi. Cavete vobis, quia isti mali homines villam et probos homines volunt destruere et auferre villam domino* [3].

Quocirca, incredibili furore populum mox exarsisse non mirum est. Illo scilicet tempore, quo Joannes Textor in jus ivisse fertur, Tolosae cives jam prope fuisse constat, ut Fratres Praedicatores lapidibus obruerent, eorumque conventum exciderent [4]. Nec caedes omittendae videntur, quibus colligi quoque potest, quanta, sicut jam diximus, animi omnium saevitia exasperati sint. Haereticus enim quidam, Arnaldus scilicet Dominici, postquam, ut sibi supplicium remitteretur, pollicitus est se inquisitoribus aliquot Albigenses dediturum esse, promissique fidem praestitit ac liberatus est, nocte paulo post in lecto suo a credentibus haereticorum est trucidatus [5]. Anno autem 1242, Guillelmum Arnaldi decemque ejus socios

1. *Chron.*, cod. pp. 5, 7, 9.
2. Ibid., p. 7.
3. Ibid., p. 5.
4. Ibid., p. 5.
5. Ibid., p. 8.

Avenioneti atroci occidione caesos quis ignorat? Tum denique omnes quarumdam urbium cives in Inquisitionem rebellavisse, nec raro, accepimus, sicut Albiae, anno 1234, in Arnaldum Cathalani accidisse a Guillelmo Pelisso traditum est [1]. Quod quidem auctoritati inquisitorum profuisse potius quam detrimento exstitisse constat. Nam, postquam saevissimo furore animi exarsere, ipsi mox elanguerunt, civesque subito, derelicta rebellione, genibus inquisitorum provolvi, quibus mortem nuper minitari ausi erant, veniamque ab eis efflagitare properaverunt [2].

Nec plura de Guillelmo Pelisso, deque ejus vita et Chronico, cui tanquam prooemium duntaxat dissertatio nostra praefixa est, agitabimus. Si quis vero nos, nulla conclusione addita, secus fecisse arbitretur, ille considerare non recuset, quodnam nobis tale opus aggressis consilium ab initio fuerit. Documentum scilicet fere ignotum, parumque ob ejus naturam atque aetatem lucidum, explanare tantummodo destinavimus, ita ut, quasi selectis ex eo et ordinatis quae ad historiam proficere posse videbantur, cuilibet deinde in promptu esset. Nec nos forsitan tam modicum finem prosecutos spes omnino fefellit. Lectoris erit de his quae exposuimus, sicut placebit, concludere, deficientemque epilogum dissertationi nostrae propria manu adscribere. Nos autem satis habebimus, si ex illo quem suscepimus labore, nonnulli ad legendum Guillelmi Pelisso opusculum adjumentum quoddam a se acceptum fuisse fateantur.

1. *Chron.*, cod. p. 4 et pp. 16-19.
2. Ibid., p. 18.

CHRONICON

FRATRIS GUILLELMI PELISSO

(Bibl. Carcasson., n° 6449).

CHRONICON P. 1.

GUILLELMI PELHISSO

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM [1]

Frater Guillelmus Pelhisso de Tolosa, vir egregius de Fratribus primitivis, scripsit manu sua [2] quae sequuntur in papiro, quae [3] de verbo ad ver-

1. Quum, sicut in prooemio, quod huic auctoris nostri opusculo praemisimus, saepius a nobis res indicata est, ejusdem forma haudquaquam integra ad nos pervenerit, erratis contra mendisque omnis generis quasi scateat, nec codex alter in promptu fore videatur, quo ea cuncta emendari possint, in hoc proposito, ex necessitate, consistendum judicavimus. Scilicet, Carcassonensem illum codicem, quem in lucem prodere aggressi sumus, supplendo vel corrigendo quidquid deficere videbatur, pro viribus in melius mutare tentavimus. Quod sane, haud inscio lectore, fieri nobis curae fuit : imo vero correcta vocabula vel etiam addita, quia interciderant, per notas, quoties operae pretium esse visum est, accurate a nobis significata sunt. Quas quidem notulas, ad emendationem verborum spectantes, conscribendas esse tantum non credidimus. Aliae enim insuper, sed diversi omnino generis, notae accesserunt, ad explanationem ipsarum rerum per breves commentarios seu historicos seu geographicos, quantum proficere potuit, exaratae.

2. Huic codicis loco puncta nonnulla interscripta sunt, quamvis nihil deesse videatur.

3. *Quae* nec non *egregius*, qui paulo supra adscriptus est, desunt in codice. Haec autem supplevimus, auctoribus Quétif et Échard, qui initium illud Chronici, a verbis : *Frater Guillelmus Pelhisso*. . . ad verba : *Anno Domini 1229*. . ., dis-

bum transcripta sunt in hoc loco ad memoriam futurorum [1].

Ad gloriam et laudem omnipotentis Dei et beatissimae virginis Mariae, matris Christi, nec non beati Dominici, patris nostri, et totius curiae coelestis, volo quaedam per scripturam memoriae commendare, quae Dominus operatus est in Tolosa atque in partibus Tolosanis per Fratres ordinis Praedicatorum, et per fideles alios in eisdem partibus, meritis et precibus beati Dominici, qui dictum ordinem contra haereticos et eorum credentes, Spiritu Sancto ordinante suis temporibus [2], domino papa Honorio 3° [3] concedente, et domino Fulcone, Tholosano episcopo [4], felicis recordationis adjuvante, ex animo instituit et ordinavit [5]. Tamen,

sertationi suae de vita scriptoris nostri inseruerunt. Vide *Script. ord. Praedic.*, I, 247 *. — Quem quidem locum, ut est ab eis transcriptus, si quis inspexerit, cum illo, quo utimur, codice, quasi omnino congruere agnoscet.

1. Illud quidem prooemium nec non titulum, qui praemissus est, manifeste non scripsit Guillelmus Pelisso, sicut animadvertere vix necesse est. Tale autem exordium Chronico a Bernardo Guidonis praepositum fuisse, totumque opusculum ab eodem transcriptum censuerunt, velut nosmet ipsi jam notavimus, Quétif et Échard.

2. Sic in codice et apud Quétif et Échard; quod nos ipsi servavimus, etsi forte scribendum potius fuisset : *illis temporibus*.

3. Pontifex ab anno 1216, quo in locum Innocentii tertii suffectus est, ad annum 1227, quo obiit. Huic successit Gregorius nonus.

4. Massiliensis, vernaculo nomine dictus *Foulques* vel *Folquet*, episcopatu functus ab anno 1205, quo Raimundo de Rapistagno *(de Rabastens)*, antecessori ejus, legati summi pontificis dignitatem abrogaverunt, ad annum mortis suae, scilicet 1231. — De eo vide, *Gallia Christiana*, XIII, Ecclesia Tolosana ; — *Histoire de Languedoc*, édit. Privat, IV, pp. 354, 355 ; — U. Chevalier, *Répert. des sources hist. du moyen âge*, art. *Folquet*, I, c. 753 ; — *Chanson de la croisade contre les Albigeois*, édit. Meyer, passim.

5. Ordinem Fratrum Praedicatorum vix memorare necesse est, ab Honorio tertio comprobatum fuisse, per bullam, anno 1216, die vicesima secunda decembris, datam. Cujus quidem bullae authenticum exemplar in Archivis dictis *de la Haute-Garonne* nunc asservatur.

non hoc dici vel fieri ad gloriam nostri ordinis personarumve, cum nostri gloriam non quaeramus, praemittimus, sed ut successores nostri ordinis et alii... [1] fideles qui [2] haec inspexerint, sciant qualia passi sint pro fide et Christi nomine, laudent Dominum et inde sumant fideliter audaciam contra haereticos et omnes alios infideles, et ut ad talia vel majora, si opus fuerit vel necessitas se obtulerit, se praeparent facienda vel potius sustinenda. Post multos siquidem et innumerabiles labores, quos beatus Dominicus [3] et Fratres, qui cum eo fuerunt in praedicta terra manentes, devote et viriliter perpessi sunt, non desinunt veri filii tanti patris, imo surrexerunt filii pro patribus.

Anno Domini 1229, in hebdomada sancta, inter dominum regem Franciae et Ecclesiam ex una parte, et nobilem virum comitem Ramundum et suos adjutores ex altera, aliqua quae facta sunt fideliter enarrabo [4]. Cum enim tunc temporis Ecclesia credidit habere pacem in terra ista, tunc haeretici et horum credentes magis ac magis armaverunt se multis conaminibus et astuciis contra eam et contra catholicos, ita ut quod etiam multo plura mala fecerunt haeretici in Tholosa et in ter-

1. Puncta illa codici interscripta sunt.

2. *Qui* deest in codice.

3. Quum Guillelmus Pelisso exordium Chronici sui ab anno 1229 sumpserit, octo annos jam praeteriisse satis liquet, ex quo Bononiae beatus Dominicus de vita decessit, quippe qui, anno 1221, die sexta augusti, sit mortuus.

4. Allusisse videtur in hoc loco, non lucide quidem, scriptor noster paci, quae inter Ludovicum nonum comitemque Tolosae, Raimundum scilicet septimum, Parisiis, anno 1229, composita est.

ris illis, quam tempore guerrae fecerant. Quod videntes Fratres ordinis Praedicatorum et catholici doluerunt [1].

Missi etiam fuerunt tunc Tholosam quamplu-
p. 2. rimi magistri || de Parisius scholares, ut studium theologiae ibi fieret, et fides doceretur ibidem nec non scientiae liberales [2]. Nec hoc valebat ad haeresim extirpandam; imo haereticales homines expugnabant eos ex adverso, et insolita audientes ab eis multipliciter deridebant.

Manebant tunc Fratres Praedicatores in ecclesia Sancti Romani in Tolosa, quam dominus Fulco, episcopus Tholosanus bonae memoriae, pater ordinis atque amicus, eis dederat [3]. Sed, quia eccle-

1. Totum illud exordium Chronici, a verbis : *Ad gloriam et laudem...* ad verba : *et catholici doluerunt...*, paucissimis vix mutatis, Percin opusculo suo inseruit, cui titulus : *Martyres Avenioneti.* Vide nempe cap. II, 1, 2, 3.

2. Hic agitur de Universitate Tolosana, quam se Raimundus septimus instituturum pollicitus fuerat, per quamdam pacis, anno 1229, inter se et regem Franciae initae clausulam. Vide *Layettes du Trésor des Chartes,* II, 1992.— Vide etiam, de ejusdem Universitatis institutione, Percin : *Opusculum de Academia Tolosana,* pars secunda, cap. II, apud *Monum.*

3. Hunc locum, a verbis : *Missi etiam...* ad verba : *eis dederat...*, reperire est apud Percin (*Acad. Tolos.,* pars tertia, cap. VI, 1). — Beatum autem Dominicum ejusque socios primum sibi domicilium Tolosae constituisse invenimus, in domibus quibusdam juxta Castrum Narbonense sitis, quas eis, anno 1214, Petrus Cellani dedisse fertur. His vero, duobus post annis, accessit, largiente Fulcone episcopo, ecclesia Sancti Romani. — De donatis a Petro Cellani domibus, vide Percin, *Monum.,* p. 14, n° 20. — Haec etiam Bernardus Guidonis de ecclesia Sancti Romani, in libro scilicet de proprio ordine a se conscripto : *Anno Domini M°.CC°.XVI°, estatis tempore, data est Fratribus prima ecclesia in civitate Tholosana, que in honorem beati Romani martiris est fundata... At vero, in predicta ecclesia Sancti Romani protinus edificatum claustrum, cellas habens ad studendum et dormiendum desuper satis aptas. Erant autem tunc Fratres numero circiter XVI... In prefata ecclesia Sancti Romani Tholosani manserunt Fratres conventualiter annis circiter XV. Postmodum autem, propter loci artitudinem et dilatandi quasi impossibilitatem, quia carreriis publicis cingitur hinc et inde, transtulerunt se Fratres ad locum*

sia erat parva et locus ad dilatandum impossibilis, si Fratres in eadem civitate et loco mansissent, hortus emptus est a Bernardo Raimundi 1229. Anno Domini 1230, ...[1] die ante Natale Domini nostri Jesu Christi, huc translati sunt Fratres. Hortum vero illum ex parte Civitatis, et alium ex parte Burgi, emit et dedit Domino Poncius de Capitedenario, burgensis de Tolosa[2].

quem nunc habitant, prefatam ecclesiam patri nostro gratis collatam et confirmatam filii improvide penitus deserentes, anno Domini M°.CC°.XXX°. (Bibl. Tolos., ms. 273, serie I[a], ff. 116 B, 117 B.)

1. Hic verbum unum, vel plura forsitan, deeese in codice satis apparet.

2. Gallice *de Capdenier;* e familia Tolosae insigni, consulumque hujus urbis numero adscriptus, annis 1202, 1203, 1204, nec non fortasse 1225, 1226; tanquam testis in nonnullis instrumentis indicatus, annis 1214, 1218, 1219, 1220, 1222, 1226. — Vide de eo, Archiv. munic. Tolos., 146, membranaceum illum codicem, tertio decimo saeculo exaratum, cui titulus : *Cartulaire du Bourg,* n[is] 25, 30, 35, 36, 38, 39, 40, 80, 81, 92, 94, 96, 97; — in iisdem Archivis, 356, 357, passim; — *Hist. de Lang.,* édit. Privat, VII, pp. 234, 240; VIII, cc. 476-477, 483, 487, 491, 640-641, 737.

Plurima autem de illis emptionibus Bernardus Guidonis retulit, quae huc transcribenda esse judicavimus. *Anno Domini M°.CC°.XXIX°. frater Raymundus de Falgario, de Miromonte, tunc prior provincialis Fratrum Praedicatorum, postmodum vero episcopus Tholosanus, et frater Johannes de Johanna, prior conventualis Tholose, in domo Sancti Romani, et dominus Poncius de Capitedenario, de Tholosa, emerunt in civitate Tholose a Bernardo Raymundi, fuster, unum ortum, qui dicebatur de Garrigiis in parrochia ecclesie Deaurate, precio MCC. sol. Thol., exceptis donacionibus obliarum... Quod totum emit et persolvit prefatus dominus Poncius, et dedit Fratribus sicut patronus loci, et domina Aurimunda, uxor ipsius, et domina Stephana, filia ipsorum. Ortus predictus claudebatur ex parte suburbii magno muro sarracenico aliquando, et erat turris rotunda ibi, que fuit Arnaldi Guilaberti et uxoris ejus, Gentilis. Set comes Montisfortis destruxit turrem et murum, et postea dictus A. et uxor ejus et filii eorum, scilicet Guillelmus de Brugueras, Bernardus Guillelmi, dederunt locum turris et muri et donaciones obliarum Fratribus. Johannes vero de Garrigiis et Bernardus et Bertrandus et Brunus fratres dederunt Fratribus nostris amore Dei dominium quod ibi habebant, et totum dominium quod habebant in orto Petri de Ulmo ex parte Burgi, scilicet XXII den. et obol. obliarum. Prefatus autem prior provincialis, frater Raymundus, et frater Johannes predictus, et memoratus dominus Poncius emerunt eodem tempore ortum cum columbario ex parte Burgi a Petro de Ulmo, et quamdam domum*

Erat autem in illis diebus prior conventualis frater Joannes de Johanna [1], et prior provincialis frater Ramundus de Miromonte [2], qui post paucos dies factus fuit episcopus Tolosanus, qui et dictam donationem accepit dicti loci, ubi Fratres aedificaverunt domos valde pauperes, parvas et humiles, propter penuriam loci et defectum expensarum. Nostri etiam Fratres valde tenuem vitam et pauperem in victu pariter et vestitu, longo tempore alacriter et devote, pro Christi nomine et plantatione fidei, deduxerunt.

Absoluto priore, fratre Johanne praedicto, factus fuit post eum prior frater Petrus de Alesto [3]. Legebat ibi tunc temporis theologiam magister Rotlandus [4], qui venerat de Parisius, ubi

contiguam columbario, et totum constitit DC. sol. Thol., exceptis donacionibus obliarum... Istos duos cum columbario et domo, que erat ibi contigua, dedit Fratribus nostris in presentia domini Fulconis, episcopi Tholosani, prefatus Poncius, recipiente pro ordine Raymundo, priore provinciali, et extant inde publica instrumenta. (Bibl. Tolos., ms. 273, I^a^ serie, f° 112 A. — Vide etiam ibid., ff. 112 B-115, 118 A.)

1. Vel melius *de Johannia;* Montispessulani natus, prior conventus Tolosani, conditor, anno 1251 seu 1252, conventus Figiacensis, ac primus in eodem prioratu decoratus, tandemque, anno circiter 1264, subprior Montispessulani, ubi eum non multo post obiisse credibile est. — De eo vide, bibl. Tolos., ms. 273, I^a^ serie, ff. 118 B, 173 A; ms. 91, II^a^ serie, f° 28 C.

2. Vel *de Falgario,* gallice *du Fauga* (hodie dép. de la Haute-Garonne, arr. et cant. de Muret), post Fulconem proximus ecclesiae Tolosanae praefectus, episcopus ab anno 1232 ad annum 1270. — De eo vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, IV, p. 355. — Vide etiam dissertationem nostram, cui titulus inscribitur : *L'Inquisition dans le midi de la France au* XIIIe *et au* XIVe *siècle,* p. 64, nota 2.

3. Id est gallice *d'Alais.* — De eo vide, bibl. Tolos., ms. 273, I^a^ serie, f° 118 B; ms. 91, II^a^ serie, f° 28 C.

4. Cremonensis, sed Bononiae educatus, ordinique Fratrum Praedicatorum, anno 1218 vel 1219, associatus, inquisitoris deinde munere functus, postquam e Tolosa anno 1233 recessit, mortuus anno 1250, ut verisimile est. — De eo vide *Script. ord. Praedic.*, I, 125-127. — De eodem quae sequuntur Bernardus Guidonis : *Frater*

fuerat factus magister in theologia cathedralis[1].

Quadam autem die, cum praedicaret quidam frater noster, dixit in sermone suo, quod haeretici manebant in villa, et faciebant ibi sua concilia et haereses seminabant. Quod audientes homines de villa multum fuerunt inde perturbati et commoti. Unde consules villae vocaverunt priorem in Do-

Rotlandus, nacione Cremonensis, in seculo magnus philosophus, et primus de Fratribus ordinis Praedicatorum licentiatus et doctor Parisius. Hic summam quam fecit philosophie sale condivit. Erat enim in theologicis et philosophicis ad plenum eruditus. Et cum semel existens Cremone audiisset a Fratribus quibusdam venientibus de exercitu Frederici tunc obsidentis Brixiam, quod philosophus ejus multum eos confuderat de sua philosophia, de qua nesciverant respondere, succensus zelo ordinis dixit : « Sternite michi asinum. » Podraguicus enim erat, et pedes ire non poterat. Quod cum factum fuisset, intrans exercitum super asinum cum quibusdam Fratribus, incepit querere ubi esset ille philosophus. Et congregatis multis qui eum noverant et honorabant, magnis et honoratis viris, convocato philosopho, dixit ei : « Ut scias, tu, magister Theodore, quod ordo Predicatorum habet philosophos, ecce do tibi coram istis opcionem, ut obicias vel respondeas de quacumque philosophia volueris. » Qui cum elegisset respondenti obicere, ita gloriose unica disputacione de eo triumphavit; quod ad magnam gloriam cessit ordinis et honorem. (Bibl. Tolos., ms. 273, Iª serie, fº 14 B. — Vide etiam ibid., fº 36 A.)

De Rollando Geraldus quoque de Fracheto, in libro suo *De vitis Fratrum*, nonnulla retulit, e quibus duas sequentes narratiunculas excerpsimus. *Cum magister Rotlandus Cremonensis, de quo in primo libro supra facta est mentio, fecisset de scarlato novas et preciosas vestes, et quadam die sollempnes epulas fecisset cum sociis, et totam illam diem in ludis et vanitatibus et hujusmodi vana leticia transegisset, in sero ad se reversus aït : « Ubi est festum quod fecimus, et leticia cito transit, et in dolorem convertitur. » Sequenti die ordinem est ingressus, in quo multis annis Domino deservivit, vita et fama et sciencia et doctrina praeclarus.* (Bibl. Tolos., ms. 191, Iª serie, fº 25 A et B.)— *Cum frater Rotlandus Cremonensis, magister theologie, arteticam gravissimam pateretur in genu, ita quod sibi videbatur quod nervi uncinis ferreis extraerentur ab eo, alta voce clamavit : « Domine, non est verbum apostoli tui qui dixit : fidelis est Deus, qui non pacietur vos temptari supra id quod potestis ; ecce deficio, nec possum amplius sustinere ; » statimque omnis dolor discessit.* (Ibid., ut supra, fº 6 C.)

1. Haec a verbis : *Legebat ibi...* ad verba : *in theologia cathedralis...*, reperire est apud *Script. ord. Praedic.*, I, 100 b, in vita fratris Johannis de Sancto Aegidio, atque apud Percin. (*Acad. Tolos*, pars tertia. cap. VI, 1.)

mum communem, praecipientes ei quod diceret Fratribus, quod de caetero non attentarent talia praedicare, et valde pro malo haberent, si dicerent quod haeretici essent ibi, cum nullus, ut ipsi asserebant, inter eos esset talis. Haec et similia comminantes intulerunt. Tunc magister Rollandus, hoc audito a priore, despexit [1] et dixit : « Certe nunc oportet quod nos magis ac magis contra haereticos et eorum credentes praedicemus. » Quod fecit ipse et alii simul cum eo viriliter et potenter.

P. 3 In illis diebus, mortuus est in Burgo Joannes-Petrus Donatus, || Sancti Saturnini [2] clericus, morte haereticatus cum superpelliceo [3], et [4] ibidem in claustro sepultus, qui prius haereticatus fuerat in morte, nescientibus canonicis [5]. Quod ut audivit magister Rollandus, ivit cum Fratribus et clericis illuc, et eum extumulatum trahi fecerunt ad ignem et combustus est.

Eodem tempore, est mortuus in dicto Burgo quidam haereticus, Galvannus nomine, archiman-

1. *Respexit* in codice, sed prave, sicut manifestum est.

2. Sic vocabatur abbatia, totius Occitaniae paene antiquissima. Cujus quidem ecclesia, undecimo saeculo reaedificata, hodie inter ecclesias parrochiales urbis Tolosae numeratur. — De ea vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, IV, pp. 522-527.

3. Gallice *surplis*. — De illo sacerdotalis vestimenti genere, vide Du Cange, art. *superpellicium*.

4. *Et* deest in codice, supplendumque esse videtur.

5. Hunc locum in codice omnino vitiatum ac paene obscurum esse satis apparet. Quapropter eumdem, velut a Quétif et Échard conscriptus est, hic referri operae pretium fore judicavimus. Cujus quidem haec est forma : *In illis diebus mortuus est in Burgo Joannes Petrus Donatus, S. Saturnini canonicus, et sepultus cum superpelliceo in claustro, qui prius haereticus fuerat, nescientibus canonicis*. (*Script. ord. Praedic.*, I, 126)

drita magnus Valdensium. Quod magistrum Rollandum non latuit, et publice hoc retulit in sermone, et convocatis Fratribus et clero et aliquibus de populo, iverunt ad domum ubi dictus haereticus obierat, et eam funditus destruxerunt, et fecerunt eam locum sterquilinii, et dictum Galvannum extumulaverunt, et de cimiterio Villaenovae [1], ubi sepultus fuerat, extraxerunt. Corpus vero illius per villam cum ingenti processione traxerunt, et in loco communi extra villam combusserunt. Hoc ad laudem Domini nostri Jesu Christi et beati Dominici actum est, et ad honorem Romanae et catholicae ecclesiae, matris nostrae, anno Domini 1231.

Eodem tempore, defuncto domino Fulcone, episcopo Tholosano, in die Natalis Domini, sub [2] eodem anno Domini 1231, electus est in episcopum Tholosanum dominus frater Ramundus de Miromonte, prior provincialis, et intronisatus in sede, dominica tertia Quadragesimae, qua cantatur *Laetare Jerusalem,* et frater Romeus [3] factus

1. Gallice *de Villeneuve.* Locus sic vocabatur, juxta muros urbis Tolosae situs, quem a Domo communi (vulgo *le Capitole*) non ita distantem fuisse constat. Viam enim, recentissime appellatam *La Fayette,* eidemque Domui continguam, antea viam *Villeneuve* vocatam fuisse accepimus. Nec aliud nomen inditum fuerat portae illi, quae, priusquam aetate nostra dirueretur, mediam plateam occupabat, nunc vernacule dictam *place La Fayette,* et viae quam diximus conjunctam. — Vide *Chanson de la croisade contre les Albigeois,* édit. Meyer, I, vers. 5213, 9506; II, p. 271, nota 1.

2. *Suo* in codice.

3. Vernaculo nomine *Romeu ;* Catalanus, oriundus e Levya, castro prope Podium Cerdanum. Hic, postquam prior provincialis Provinciae annis quatuor, nec non Lugduni et Burdigalae prior conventualis fuit, Carcassonae obiit, anno 1261, mense octobri vel decembri. — De ejus obitu Bernardus Guidonis : *Obdormivit in Domino, cordulam cum nodulis, quibus mille Ave Maria in die numerare so-*

est prior provincialis in provincia Provinciae [1].

In illis diebus, absolutus est a prioratu frater Petrus de Alesto, et magister Rollandus recessit de Tolosa, et ivit ad terram suam, et in locum ejus legit theologiam in Tholosa magister Joannes de Sancto Aegidio [2], vir bonus et sanctus, et facies ejus et vita ejus gratiosa. Qui magister fuerat in theologia Parisius cathedralis [3].

Factus est etiam prior Tholosae frater Pontius [4]

litus erat, firmiter manu tenens. (Bibl. Tolos., ms. 273, I[a] serie, f° 66 A.) — Sepultus est in ecclesia conventus Carcassonensis, ante altare beatae Mariae virginis. Cujus tumulo hoc epitaphium inscriptum fuisse retulit idem Bernardus Guidonis (ibid., ut supra, f° 66 B) :

Hac sunt in fossa fratris venerabilis ossa
Dicti Romei, qui fuit archa Dei.
Hic Jhesumque piam dilexit valde Mariam.

Ejusdem quoque corpus integrum omnino et incorruptum repertum fuisse, anno 1285, multisque miraculis viventis pariter ac defuncti nomen inclaruisse, accepimus. — Plura de eo vide, ibid., ut supra, ff. 43 A, 65 B, 146 A. — Vide etiam : *Script. ord. Praedic.*, I, 161-162; — A. Lecoy de la Marche, *Anecdotes historiques, légendes et apologues tirés du recueil inédit d'Étienne de Bourbon,* pp. 84, 109, 199.

1. Hunc Chronici locum, a verbis : *Quadam autem die...* ad verba : *in provincia Provinciae...*, Quétif et Échard vitae fratris Rollandi Cremonensis a se conditae inseruerunt. (Vide *Script. ord. Praedic.*, I, 126.) Eumdem quoque locum reperire est apud Percin (*Martyr. Avenion.*, cap. II, 4, 5, 6), sed penitus recisum et immutatum, praetereaque iis quae in fine conscripta sunt deminutum.

2. Vel *Aegidii ;* Anglicus natione; a Geraldo de Fracheto citatus, una cum Rollando Cremonensi et quibusdam aliis ex ordine Fratrum Praedicatorum, qui, tempore fratris Jordani, proximi post beatum Dominicum, ab anno 1223 ad annum 1237, totius ordinis magistri, in Universitate Parisiensi licentiati exstiterunt, atque ibidem actu et ordinarie in sacra pagina legerunt. Vide *Cronica ordinis Fratrum Praedicatorum,* bibl. Tolos., ms. 191, I[a] serie, f° 49 C. — De eodem vide etiam, eadem bibl., ms. 273, I[a] serie, f° 36 A.; — Du Boulay, *Hist. Univ. Paris.,* III, pp. 260-262 ; — *Script. ord. Praedic.*, I, 100-102 ; — *Histoire littéraire de la France,* XVIII, pp. 444-447.

3. Haec, a verbis : *In illis diebus...* ad verba : *Parisius cathedralis...,* apud Quétif et Échard, in vita fratris Joannis de Sancto Aegidio. (*Script. ord. Praedic.*, I., 100[b].)

4. *Joannes* in codice, sed prave, sicut satis liquet.

de Sancto Aegidio [1], qui viriliter et potenter sese habuit in negotio fidei contra haereticos cum fratre Petro Cellani [2], qui erat de Tholosa, et fratre Guillelmo Arnardi [3]... [4], qui erat de Montepessulano. Quos dominus papa fecit inquisitores contra haereticos in Tholosana dioecesi similiter et Cadurcensi.

Fecit etiam dominus legatus, archiepiscopus Viennensis [5], fratrem Arnaldum Catalanum [6], qui erat tunc de conventu Tholosano, inquisitorem contra haereticos. Praedicavit et Inquisitionem, sicut melius potuit facere, attentavit. || Verumtamen, credentes haereticorum quasi nihil volebant dicere P. 4.
illo tempore, imo colligabant se ad negandum. Duos tamen haereticos condemnavit vivos, scilicet

1. Postea, anno scilicet 1259, prior provincialis Provinciae; mortuus, anno 1263. — De eo vide dissertationem nostram : *L'Inquisition dans le midi de la France*, etc., p. 44, nota 1.

2. Vernacule *Cella;* e familia Tolosae antiqua, amicus beati Dominici atque socius, deque ordine Fratrum Praedicatorum ab initio ejus bene meritus; ab anno 1236 prior conventualis Tolosae, ubi aetate provectus obiisse fertur, anno 1257. — De eo vide, ibid., ut supra, p. 43, nota 1.

3. Vel melius *Arnaldi;* prior conventus Tolosani, anno circiter 1237; Avenioneti, anno 1242, undetrigesima die maii, in festo Ascensionis Domini, ab haereticis trucidatus. Periere simul cum eo atrocissima nece decem officii Inquisitionis ministri, inter quos annumerandus ejusdem Guillelmi Arnaldi collega, Stephanus scilicet de Sancto Tiberio, ex ordine Fratrum Minorum. — Vide de eo, ibid., ut supra, p. 44, nota 3.

4. Puncta ista codici adscripta sunt.

5. Vernaculo nomine dictus *Jean de Burnin;* proximus post Gualterium de Marnis, episcopum Tornacensem, in Provincia Sedis apostolicae legatus. — Vide de eo, *Gallia Christiana*, XVI, Ecclesia Viennensis; — *Hist. de Lang.*, édit. princeps, III, libr. XXIV, XXV, et Pr.

6. De hoc fratre, in acerrimis profecto Inquisitionis judicibus, ea ineunte, habendo, nihil invenimus, unde memorata a Guillelmo Pelisso circa tantum fide Romanae propugnatorem confirmari vel adaugeri possint.

Petrum de Puechperdut, id est de Podioperdito, et Petrum Bomassipio, seu Bonimancipii [1], et ambo fuerunt combusti diversis temporibus.

Quosdam alios mortuos condemnavit, et trahi fecit et comburi. Unde moti Albienses voluerunt eum submergere in fluvio Tarni, et percussum, laniata veste, facie sanguinolenta, ad instantiam quorumdam dimiserunt eum. Ipse vero qui trahebatur clamabat : « Benedictus sit Dominus Jesus Christus ! [2] »

Postmodum vero venerunt eis multa infortunia, tempore fratris Ferrarii [3] inquisitoris, qui multos ex eis cepit et immuravit, et etiam comburi fecit, justo Dei judicio operante.

Erant etiam praeter praedictos, tunc temporis, de conventu Tholosano, frater Mauritius [4],

1. De Petro de Podioperdito et Petro Bonimancipii, quorum nomina paulo infra iterum relata sunt, nihil invenimus.

2. Hic quasi in modum compendii notata sunt, quae in posteriore parte Chronici fusius exposita legere est. Vide cod. pp. 16-19.

3. Natione Catalanus, oriundus a Villalonga prope Perpinianum (hodie *Villelongue-de-la-Salanque,* dép. des Pyrénées-Orientales, arr. et cant. de Perpignan); primus ad prioratum conventus Carcassonensis evectus, anno 1252; Perpiniani, referente Bernardo Guidonis, mortuus et sepultus; cui vix in insectandis haereticis pares tertio decimo saeculo exstitisse judicandum est, saevissimos omnium inquisitores, Guillelmum Arnaldi scilicet atque Bernardum de Caucio. — De eo vide dissertationem nostram : *L'Inquisition dans le midi de la France,* etc., p. 167, nota 1.

4. Huic infestissimo hosti haereticorum, nec non oratori concionandi gratia illa aetate celebratissimo, quae fuerit patria in incerto est. Qui etiam vivens miraculis claruit. Nempe de eo Geraldus de Fracheto : *Quum Fratres Minores de Albia, in Provincia, diu laborassent ad querendam aquam et minime invenissent, supervenit frater Mauricius, de conventu Tholosano, missus ad predicandum, Alvernus* (?) *natione, nobilis genere, corde humilis, habitu vilis, verus sancte paupertatis amator, et contra haereticos fervens et eficax predicator. Qui Fratrum labori compatiens, Dominum invocans,*

contra haereticos optimus praedicator...... [1].

Reprimebantur autem illis temporibus in terra illa[2] catholici, et persecutores haereticorum[3] in multis locis occidebantur, licet dominus Ramundus comes promisisset in forma pacis, quod per quinquennium daret, pro unoquoque haeretico vel haeretica, illi qui eos caperet duas marchas argenti, et post quinquennium unam tantum [4]. Quod et factum fuit multoties. Sed majores de terra et potentiores milites et burgenses et alii defendebant dictos haereticos et celabant, et persecutores eorum percutiebant, vulnerabant et occidebant, quia consilium principis erat corruptum in fide notabiliter, et ideo multa mala fiebant in terra contra Ecclesiam et fideles.

Accidit quod quidam civis Tholosanus, Bernardi Pictavini nomine, ut creditur, catholicus, cum alio suspecto de haeresi, nomine Bernardo de

ostendit eis locum, dicens : « Hic, in nomine Domini Jhesu Christi, fodite, et invenietis. » Statim ibi foderunt puteum, qui usque hodie manat, aquam prebens habundantem et sanam, (Bibl. Tolos., ms. 191, 1ª serie, f° 34 C.) Idem quoque retulit Percin (*Monum.*, p. 54, n° 14). — Vide etiam de eodem fratre Mauritio, *Chronicon Fratrum ordinis Praedicatorum*, authore R. P. magistro fratre Antonio Senensi, Lusitano, Parisiis, MDLXXXV, p. 65 et pp. 70, 71. — In quo quidem loco, scriptor ille quem indicamus miraculum a Geraldo de Fracheto et Percin relatum ipse memorare non omisit. Praeterea, inter eumdem atque Percin convenit, fratrem Mauritium, anno 1249, Albiae obiisse, in coenobio scilicet Fratrum Minorum, pro quibus fontem impetraverat, ibique honorifice tumulatum fuisse.

1. Haec in codice gallice addita sunt : *et plusieurs autres nommés jusques au nombre de quarante.*

2. *Illi* in codice.

3. *Catholicorum* in codice, quod per incuriam scriptum manifeste apparet.

4. Vide hanc clausulam, ut est in ipsa forma pacis expressa. (*Layettes du Tr. des Ch.*, II, 1992.)

Solario [1], fibulario [2], rixam habuit, et in cursu verborum vocavit eum haereticum. Unde alius conquestus est consulibus de illato improperio, et alius adductus ad consilium vituperatus fuit verbis et minis a multis credentibus haereticorum, qui tunc consulatum et villam in potestate sua obtinebant. Tandem condemnatus fuit ad exilium per aliquos annos, et ad pecuniam dandam illi Bernardo pro injuria et consulibus villae pro communitate, et quod juratus pronuntiaret illum in Domo communi virum probum et catholicum, et se mentitum fuisse de praedictis. Quod alter audiens doluit
5 quamplurimum de pecunia et || maxime, ut asserebat, de perjurio, quia contra conscientiam hoc diceret, et de dedecore sibi et aliis catholicis et Ecclesiae irrogato. Tunc petiit inducias consilii. Quibus datis, venit ad Fratres et petiit consilium et juvamen. Fratres vero dixerunt ei, quod appellaret ad dominum episcopum, quia causa erat fidei, et ipsi tunc viriliter eum defenderent et potenter. Et ipse, secutus eorum sanum consilium, ita fecit. Nec mora, venerunt ambo coram domino episcopo Ramundo, et ille haereticalis adduxit secum ad curiam quamplurimos burgenses et majores de villa et advocatos, qui omnes stabant pro illo et contra alium potenter et clamose sangu-

1. De Bernardo Pictavini et Bernardo de Solario, vernacule *Peitavin* et *de Solier* vel *Soler,* nihil invenimus.

2. Vocabulum *fibularius* deest apud Du Cange; quod tamen a *fibula* gallice *fabricant de boucles* interpretandum credimus.

labant [1]. Ille vero adduxit secum contra alium testes fideles et fratres Petrum Cellani et Guillelmum Arnardi, qui eum viriliter defenderunt, in tantum quod succubuit ille miser et fugit in Lombardiam, et adjutores ejus remanserunt confusi. Benedictus Dominus et beatus Dominicus, servus ejus, qui ita defendit suos [2]!

Eodem tempore, inquisitores fecerant inquisitionem suam in Tolosa, et citaverant plures de..... [3] coram se. Inter quos fuit quidam de..... [4], nomine Joannes Textor. Hic similiter sicut alius multos de majoribus villae haereticalibus habuit defensores. Dicebat enim ipse maledictus Joannes coram omnibus : « Domini, audite me. Ego non sum haereticus, quia uxorem habeo, et cum ipsa jaceo, et filios habeo, et carnes comedo, et mentior et juro, et fidelis sum christianus. Ideo non sustineatis ita mihi dici, quia Deum bene credo. Et ita vobis poterunt objicere sicut mihi. Cavete vobis, quia isti mali homines villam et probos homines volunt destruere, et auferre villam domino. » Tunc processum est contra eum in tantum, quod receperunt [5] Fratres testes contra dictum Joannem, ita quod in claustro Fratrum publice praesens, coram vicario et aliis

1. Sic in codice, forsitan pro *singultabant*. *Jangulabant* scripsit Percin ; *vox est usurpata*, aït, *pro clamore tumultuoso*. (*Martyr. Avenion.*, cap. II, 10.)

2. Hunc Chronici locum a verbis : *Factus est etiam*... ad verba : *qui ita defendit suos!*... paucis vix mutatis, transcripsit Percin. Vide *Martyr. Avenion.*, cap. II, 7-10.

3. Hic aliquid deest in codice.

4. Nonnulla in hoc codicis loco desiderantur.

5. *Receperant* in codice.

multis, fuit solemniter condemnatus. Et cum vicarius, scilicet Durandus de Sancto Barcio [1], vellet eum ad ignem trahere, clamaverunt contra eum illi qui eum defendebant ne aliquo modo hoc faceret, et murmurabant fere omnes contra Fratres et vicarium. Tunc ductus fuit Joannes praedictus a vicario ad domum episcopi et in carcere positus, quia adhuc dicebat se bonum esse christianum et catholicum.

Tunc commota est villa valde contra Fratres, et minae et verba multa fuerunt contra eos supra modum, et multi haereticales incitabant populum ut lapidarent Fratres, et domos eorum diruerent, quia probos homines, ut dicebant, et conjugatos accusabant injuste de haeresi. Et sic faciebant multa consilia contra Fratres.

Erant enim in illis diebus multi crucesignati ad transfretandum propter illa quae commiserant contra fidem, et quidam alii in aliis poenitentiis a domino Romano, apostolicae Sedis legato [2], damnati [3], quia eos Guillelmus de Consolario [4], conversus ab haeresi, discooperuerat [5], et isti cum aliis

1. E familia Tolosana tertio decimo saeculo insigni; testis annis 1219, 1221, 1222, atque in duobus instrumentis, annis scilicet 1227 et 1235, indicatus. — Vide de eo, Archiv. munic. Tolos., 146, n^is^ 75, 80; — *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 1948, 1949, 2369; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VII, p. 234.

2. Tituli Sancti Angeli diaconus cardinalis, atque in Francia et Provincia, ab anno 1225, apostolicae Sedis legatus. — Vide de eo, *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 1743, 1752, 2023, 2024, 2025, 2028; — *Hist. de Lang.*, édit. princeps, III, libr. XXIII, XXIV, et Pr.

3. Sic scribendum credidimus, quum nihil certi in codice legi possit.

4. De eo nihil invenimus.

5. *Discooperierat* in codice.

quampluribus semper || contra Ecclesiam et catholicos repugnabant. P. 6.

Accidit itaque in illis diebus, quod Guillelmus de Manso[1], bajulus in terra Vauri pro domino Ramundo, comite Tholosano, adduxit quosdam haereticos quos ceperat et reddidit eos domino episcopo Tholosano, et fuerunt positi in carcere, ubi dictus Joannes Textor erat. Ille vero Joannes fingebat se esse infirmum, et petebat instanter, ficte tamen, corpus Christi. Cum autem vidit haereticos juxta se et eos plene cognovit, reddidit se eis et haereticaverunt eum. Cum etenim extracti fuerunt iidem haeretici ut examinarentur, dixit Joannes quod ipse volebat exire cum eis et viam eorum sequi in omnibus. Tunc dominus episcopus Ramundus Fratres et consules et vicarium et multos alios probos viros et quamplurimos haereticales vocavit ad se in curia sua, et fecit extrahi de carcere Joannem cum haereticis, et coram omnibus examinati sunt haeretici et condemnati, et dictus Joannes cum eis, quia confessus fuit coram omnibus, quod ipse ita credebat per omnia sicut praedicti haeretici, et viam eorum volebat sequi;

1. *Menso* in codice. — Hunc necis inquisitorum Avenioneti, anno 1242, trucidatorum participem fuisse in testimoniis de ea re receptis invenimus, posteaque Alfonso, comiti Pictavensi, anno 1249, juramentum praestitisse. Vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 1154, 1157, 1261. — Eumdem quoque, nostro saltem judicio, credibile est, juramentum, anno 1243, mense martio, praestitisse de pace Parisiensi fideliter servanda. Namque Willelmum quemdam de Manso (hodie *Le Mas-Saintes-Puelles*, dép. de l'Aude, arr. et cant. de Castelnaudary), una cum militibus ejusdem loci, in quodam instrumento de ea re conscripto, notatum reperimus. (*Layettes du Tr. des Ch.*, II, 3071.)

et cum pluries ab episcopo et Fratribus esset admonitus ut resiliret, noluit redire ad nostram fidem. Tunc omnes, qui eum ante defendebant, confusi condemnaverunt eum publice ad minus verbo tenus et maledixerunt ei, et combustus fuit cum aliis insimul.

Eodem tempore, Fratres inquisitores, scilicet frater Petrus Cellani et frater Guillelmus Arnaldi, fecerunt inquisitionem in Caturco contra haereticos, et condemnaverunt illic aliquos defunctos, quos trahi fecerunt per villam et comburi. Hymbertum etiam de Castronovo [1] condemnaverunt mortuum; sed filius suus furatus fuit eum de cimiterio et non fuit inventus, et Ramundus de Broelas [2], magnus credens haereticorum, aufugit, et veniens Romam submersus est [3] in Tyberim.

Fecerunt etiam dicti Fratres inquisitionem in Moyssiaco, et Joannem de Garda [4] condemnaverunt vivum, et fugiens ad Montemsegurum [5] fac-

1. Ex ea familia, ut videtur, inclyta, loco illo oriunda, cui nomen hodie inditum est *Castelnau-d'Estretefons* (dép. de la Haute-Garonne, arr. de Toulouse, cant. de Fronton); ab ea scilicet multos urbis Tolosae consules duodecimo ac tertio decimo saeculo sumptos fuisse accepimus. — Vide de ea familia, Archiv. munic. Tolos., 146, 356, 357; — *Layettes du Tr. des Ch.*, I et II, passim; — La Faille, *Annales de la ville de Toulouse.*

2. Melius forsitan legendum esset *de Broleas;* quod quidem in ipso codice, sed cancellatum, reperitur, et a Percin, hunc locum Chronici referente, scriptum est. Vide *Martyr. Avenion.*, cap. II, 12. — Praeterea, militem quemdam, cui nomen *G. de Broliis,* in instrumento Sancti Pauli (hodie *Saint-Paul-Cap-de-Joux*, ch.-l. de cant., arr. de Lavaur, dép. du Tarn), anno 1226, confecto invenimus. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 1788.

3. *Est* deest in codice.

4. De eo nihil invenimus.

5. Hodie *Montségur* (dép. de l'Ariége, arr. de Foix, cant. de Lavelanet). Castrum ibi fuit, in asperrima parte comitatus Fuxensis situm, quo, post Albigensium

tus est ibi haereticus perfectus, et postmodum ibi combustus est cum aliis 210 haereticis. Folquetum etiam, de Moyssiaco [1], citaverunt; et ipse timens fecit se monachum in abbatia de Bellapertica [2]. Ipsi vero nihilominus processerunt contra eum. Quod ille audiens aufugit in Lombardiam. Tunc inquisitores condemnaverunt eos tanquam haereticos contumaces, et factus est timor magnus inter haereticos et credentes eorum in terra.

In illis diebus, dum inquisitores praedicti erant in dioecesi Caturcensi, frater Arnaldus Cathalani erat cum fratre Guillelmo Pelhisso in Albia, facientes inquisitionem contra haereticos, ubi duodecim de civitate illa crucesignaverunt se ad eundum ultra mare. Et Petrum de Podioperdito et Petrum Bonummancipium condemnaverunt vivos dictus frater Arnaldus et magister Guillelmus de Lombers [3], collega ejus. Qui combusti fuerunt ad terrorem multorum || haereticorum et exaltationem fidei Jesu Christi. P. 7.

Interea, frater Pontius de Sancto Egidio, prior Tholosae, pluries citari fecit Arnaldum Sancerii,

bellum, ingravescente quotidie in haeresim persecutione, notatissimi haereticorum se recipere soliti sunt. Hoc autem, anno 1244, mense martio, post diuturnam obsidionem, tandem capto, plus quam ducenti haeretici combusti sunt, qui in hunc locum confugerant. — Vide de hoc Schmidt, *Histoire et doctrine de la secte des Cathares ou Albigeois,* I, pp. 324-327. — Vide etiam *Layettes du Tr. des Ch.,* II, 2898, 3370.

1. De eo nihil reperimus.

2. Gallice de *Belleperche,* ordinis Cisterciensis abbatia, in dioecesi Montalbanensi sita. — De ea vide *Hist. de Lang.,* édit. Privat, IV, pp. 337, 361, 367, etc.; V, cc. 1282, 1292; — *Gallia christiana,* XIII, cc. 259-266.

3. De eo nihil invenimus.

fabrum de Cruce Baranhonis [1], et contra eum recepit multos testes juratos coram eo, qui deposuerunt multa contra eum quae fecerat contra fidem. Ipse vero negavit omnia, nihil aliud dicens ad sui deffensionem, nisi quod non erat verum. Quod videns prior et frater... [2], habito consilio sapientum qui aderant, quia magnus credens erat haereticorum, condemnavit eum tanquam haereticum, in praesentia praedicti vicarii et aliorum multorum fidelium. Quod videns dictus Durandus vicarius duxit eum ad ignem, quia nolebat haereses confiteri, licet ipse Arnaldus clamaret per plateas, cum ducebatur ad ignem : « Videte omnes quam injuriam faciunt mihi et villae, quia ego bonus christianus sum, et credo fidem Romanam. » Et multa talia ad excusationem suam ingeminabat conclamando. Unde commoti sunt multi de populo contra Fratres et vicarium, et nichilominus vicarius combussit eum. Unde expavefacti et tremebundi plures de populo timebant valde sibi, et conquesta est tota villa Tholosae [3].

Anno Domini 1234, canonisatio corporis beati Dominici, patris nostri, nuntiata fuit Tholosae, et dominus frater Ramundus de Miromonte, episcopus

1. Sic hodieque via quaedam Tolosae vocatur, ecclesiae Sancti Stephani proxima.

2. Deest nomen fratris illius in codice.

3. Hunc Chronici locum, a verbis : *Accidit itaque in illis diebus*... (supra, p. 19) ad verba : *et conquesta est tota villa Tholosae*..., utcumque transcripsit Percin. (Vide *Martyr. Avenion.*, cap. II, 11-14.) — Hujus quoque loci partem, a verbis scilicet : *Fecerunt etiam dicti Fratres*... ad verba : *Guillelmus de Lombers, collega ejus*..., sed valde vitiatam, vide apud eumdem. (*Monum.*, p. 48, n° 15.)

Tholosanus, celebravit missam solemniter primo in domo Fratrum Praedicatorum Tholosae, et, completo devote et solemniter divino officio, lavaverunt manus, ut comederent in refectorio dominus episcopus et familia ejus et Fratres. Tunc, divina Providentia ministrante, meritis beati Dominici, cujus festum celebrabant, venit quidam de villa ad priorem, antequam intraret ad refectorium, et dixit ei quod quidam haeretici intraverant ad quamdam infirmam haereticandam, ibi prope in vico qui vocatur *l'Olmet sec*[1]. Tunc prior dixit hoc episcopo. Statim, antequam comederent, iverunt illuc, scilicet ad domum Pictavini Borsier[2], qui fuerat diu nuntius generalis haereticorum in Tholosa. Socrus enim Pictavini tenebatur magnis febribus, vel ad minus magna detinebatur infirmitate. Et tunc fuit qui diceret dictae infirmae : « Domina, videatis quia dominus episcopus venit ad vos. » Et, quia subito intravit episcopus cum aliis, non potuit notificare sibi. Episcopus autem, sedens juxta[3] infirmam, coepit ei multa dicere de contemptu mundi et terrenorum; et quia illa intellexerat forsitan de episcopo haereticorum sibi dictum fuisse quod visitaret eam, ideo quia jam haereticata erat, liberius || respondit de omnibus episcopo. Ipse vero P. 8.

1. *Lamet sec* in codice. — Via, cui nomen paene ab antiquissimis Tolosae temporibus, ut videtur, inditum erat *de l'Olmet sec*, id est gallice *de l'Orme sec*, nostra aetate amplificata novoque titulo via *Romiguières* vocata est.

2. De eo nihil invenimus.

3. *Juxta* deest in codice, sed supplendum esse judicavimus.

dominus episcopus cum cautela magna extraxit ab ea in multis articulis quod credebat, et fere totum sicut credunt haeretici. Tunc addidit ei episcopus : « Vos de caetero non debetis mentiri, nec multum curare de vita ista misera ; » et talia hujusmodi. « Ideo dico ut sitis constans in credulitate vestra, nec timore mortis debetis alia confiteri, nisi sicut in corde creditis firmiter et habetis. » Quod illa audiens dixit : « Ita credo, domine, sicut dico, nec propter modicam vitam miseram meam mutabo propositum. » Tunc dixit episcopus : « Vos ergo estis haeretica, quia haec est fides haereticorum quam confessi estis, et sciatis pro certo quod haereses sunt manifeste et damnate. Dimittatis omnia ista, et credatis sicut credit Romana et catholica ecclesia. Ego enim sum episcopus vester Tholosanus, et praedico fidem Romanam catholicam, quam volo et moneo quod credatis. » Haec et multa talia dixit ei coram omnibus, et eam pluries super hoc monuit, nec quantum ad ipsam aliquid profecit ; imo magis in haeretica obstinacia perseveravit. Tunc episcopus, convocato statim vicario et multis aliis in virtute Jesu Christi, eam haereticam condemnavit. Vicarius autem eam, cum lecto in quo erat, sic ad ignem ad Pratum comitis [1] portari et statim eam comburi fecit. Captus est hic Pictavinus, gener ejus, qui erat nuncius et procurator haereticorum

1. De hoc loco valde ambigimus ; quem tamen, propter inditum eidem nomen, Castro Narbonensi proximum fuisse suspicamur, ideoque in illa parte Tolosae situm, quae vergit ad meridiem, dexteraeque ripae Garumnae adjacet.

in Tholosa, et Bernardus Aldrici, de Tritomilio [1], qui erat socius ejus. Qui confessi sunt multa de haeresi postea, et multos et magnos viriliter discooperuerunt. Episcopus vero et Fratres et socii, hoc completo, venerunt ad refectorium, et quae parata erant cum laetitia comederunt, gratias agentes Deo et beato Dominico. Haec operatus est Dominus in prima solemnitate beati Dominici, ad gloriam et laudem nominis sui et servi sui, beati Dominici, et exaltationem fidei et depressionem haereticorum et credentium eorumdem [2].

Anno 1235, in Parasceve Sancta, venerunt multi ad confessionem de facto haereticorum, et in tantum occupabantur Fratres quod non poterant sufficere ad audiendum; unde vocati fuerunt aliqui Fratres Minores et capellani parrochiales de villa, qui praesentes essent ad audientiam. Tunc prior cepit quosdam de villa qui nolebant gratis venire, adjuncto sibi vicario Tholosano [3]; inter quos fuit quidam fervicosus, Arnaldus Dominici nomine [4]. Hic, cum vidisset quod vicarius minabatur sibi mortem, nisi plene discooperiret haereticos, timore

1. Gallice *de Drémil* (hodie dép. de la Haute-Garonne, arr. et cant. de Toulouse). — De illo Bernardo Aldrici nihil invenimus.

2. Illius facti narrationem vide etiam apud Bernardum Guidonis (bibl. Tolos., I[a] serie, ms. 55, f° 2 D; ms. 273, ff. 8 B, 9 A; — II[a] serie, ms. 91, f° 2 B, C), nec non apud Percin (*Monum.*, p. 49, n[is] 17, 18). — Quam quidem prior horum scriptorum a Guillelmo Pelisso sumpsisse quodam modo confessus est; alter autem, partim e Chronico quod nunc excutimus, partim e Bernardi Guidonis libro eam deprompsisse videtur.

3. Is fuit Durandus de Sancto Barcio, de quo supra.

4. De eo nihil aliud invenimus, quam quod a Guillelmo Pelisso relatum est

perterritus, promisit reddere undecim haereticos quos sciebat, et data est ei spes liberationis. Et tunc duxit dominum Petrum de Malafayra, abbatem Sancti Saturnini [1], et dominum vicarium usque ad castrum quod dicebatur Cassers [2], et ibi ceperunt septem haereticos; caeteri vero evaserunt adjutorio rusticorum dicti castri. Dictus Arnaldus Dominici confessus est et dimissus. Postmodum vero, interfectus fuit a credentibus haereticorum apud Agaffoylh [3], de nocte in lecto suo, in terra de Lantaresio [4].

P. 9. || Dictus abbas cum vicario cepit Petrum-Guillelmum Delort [5], in Burgo Sancti Saturnini [6], in domo sua, qui erat magnus credens haereticorum, et cum [7] vellent eum secum abducere, Ramundus Rotgeri [8], major scilicet natu et malitia, et Petrus

1. Abbas, ut videtur, annis 1234 et 1235. — De eo vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, IV, pp. 525, 526.

2. Hodie *Les Cassès* (dép. de l'Aude, arr. et cant. de Castelnaudary). — De illo loco vide *Chanson de la croisade contre les Albigeois*, édit. Meyer, I, vers. 1883, 2360; II, p. 103, nota 7.

3. *Agassoylh* in codice, sed perperam sine dubio. — *Agaffoilh* vernacule, gallice *Aigrefeuille*, vocatur locus a Tolosa non ita distans, et vico proximus, cui nomen Lantario, hodie *Lanta* (ch.-l. de cant., arr. de Villefranche, dép. de la Haute-Garonne).

4. *Cantaresio* in codice; *Lantaresio* autem primum scriptum fuerat. Quo quidem nomine, gallice *le Lantarès*, olim pars quaedam Occitaniae et quasi Tolosani suburbii, circa Lantarium sita, vocabatur.

5. Latine *de Orto*, vel forsitan *de Ortu*. — Consul urbis Tolosae, anno 1207; testis, annis 1220, 1247 (?). — Vide de eo, Archiv. munic. Tolos., 146, n^is 88, 94, 103; ibid., 356, 357.

6. Pars urbis Tolosae, primo extra muros, circaque monasterium atque ecclesiam Sancti Saturnini sita.

7. *Cum* deest in codice.

8. Consul, anno 1235, quo Tolosa Fratres Praedicatores expulsi sunt, et in iis expellendis acerrimus; nempe vide infra. De eo nihil aliud novimus.

Esquivati [1] cum quibusdam aliis de Burgo abstulerunt eum de manibus eorum. Qui postea fugiens non comparuit, et, sicut credo, condemnatus fuit sicut haereticus. Hujuscemodi factum audientes inquisitores venerunt omnes Tholosam, et multos vocaverunt ad confessionem, dantes eis tempus gratiae, infra quod si bene et plene confiterentur sine fraude, dabant eis spem firmam quod non immurarentur nec exularent, nec amitterent bona sua, quia dominus comes Ramundus concesserat Fratribus, quod quicumque poenitens confiteretur veritatem nihil amitteret. Quod experti fuerunt postmodum qui integre sunt confessi.

In illis diebus, tracti fuerunt quidam mortui haereticati per villam et combusti, scilicet Bertrandus Peyriers [2] et quidam alii; et commota est tota civitas et turbata contra Fratres propter Inquisitionem, et miserunt ad comitem. Qui veniens rogavit inquisitores quod cessarent ad tempus amore ipsius, ponens suas frivolas rationes. Quod illi facere noluerunt. Tunc comes conquestus est de ipsis legato [3], dicens etiam quod frater Petrus Cellani, qui fuerat de curia patrum suorum et civis Tholosanus modo, erat inimicus ejus, et impetra-

1. Ex illa familia Tolosana, ut videtur, a qua duodecimo et tertio decimo saeculo consules saepius assumpti sunt, nec non testes, qui in instrumentis hac aetate conscriptis indicantur. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, 356, 357, passim.

2. De eo, cujus nomen infra iterum (cod. p. 15) relatum est, nihil invenimus. Notandum tamen arbitramur, haereticum quemdam, e Tolosa quoque oriundum, videlicet Arnaldum-Guillelmum Peyrer, ibidem citari, quem praedicto propinquum fuisse credibile est.

3. Is fuit archiepiscopus Viennensis, de quo supra.

vit a [1] legato, quod de caetero non esset dictus frater Petrus inquisitor in dioecesi Tholosana, sed tantum in Caturcinio. Tunc frater Petrus, absolutus a parte ista, fecit inquisitionem cum fratre Poncio Delmont [2] et fratre Guillelmo Pelhisso sibi associato in episcopatu Caturcensi, ubi, multa castra discurrentes et villas multas, confessiones de haeresi receperunt, et in libris memoriae commendaverunt [3].

Eodem tempore, frater Guillelmus Arnaldi ivit Carcassonam cum quodam archidiacono sibi ad hoc adjuncto. Citavit Bernardum-Othonis de Niort, nobilem virum, dominum de Lauraco, et Guillelmum de Niort, fratrem ejus, et Geraldum et matrem eorum [4]. Ad quam citationem dictus Bernardus-Otho et Guillelmus comparuerunt; sed ni-

1. *Cum* in codice.

2. Vel *de Montibus;* forsitan familia illa oriundus, cujus nomen plurimis ejusdem aetatis instrumentis adscriptum est. — Vide *Layettes du Tr. des Ch.,* II.

3. Haec, a verbis scilicet : *Anno 1235, in Parasceve Sancta...* ad verba : *et in libris memoriae commendaverunt...,* paucis mutatis, reperire est apud Percin (*Monum.,* p. 50, n[is] 21 et 24). Eadem quoque, sed tantum a verbis : *Dictus abbas...* ad verba supradicta, vide in alio auctoris illius opusculo, jam pluries a nobis indicato, cui titulus : *Martyres Avenioneti* (cap. II, 16, 17).

4. Hos omnes, familia praepotenti Electensis dioecesis oriundos, locoque illo cui nomen latine *Aniortum,* hodieque *Niort* (dép. de l'Aude, arr. de Limoux, cant. de Belcaire), libertatis Occitaniae et haeresis propugnatores acerrimos fuisse constat. Guillelmum scilicet de Aniorto cum Simone de Monteforti strenue decertavisse invenimus. Vide nempe *Chanson de la croisade contre les Albigeois,* édit. Meyer, I, vers. 8980, 9183. — Vide etiam de eodem deque ejus fratribus, nec non de contentionibus, quas cum rege Franciae et Ecclesia habuerunt, ibid., ut supra, II, p. 446, nota 3. — Praeterea, non omittenda sunt tria instrumenta, anno 1237, mensibus videlicet februario et martio conscripta, quae relata de iisdem a Guillelmo Pelisso plane confirmant. Vide Doat, XXI, ff. 162-165, 165-166, 166-167. — Vide tandem *Layettes du Tr. des Ch.,* II, 2886[2].

hil de haeresi confiteri voluerunt, et accipientes commuatum recesserunt. In crastinum autem senescallus regis Franciae [1] cepit eos, et in civitate Carcassonae [2] detenti, multoties admoniti, Bernardus-Otho noluit confiteri, quamvis contra eum multa invenirentur contra fidem et multae haereses. Et ideo, habito consilio et tractatu, dicti inquisitores condemnaverunt eum tanquam haereticum. Guillelmum vero de Niort, quia confessus fuit, sed non gratis, captum detinuerunt, et dictum Bernardum similiter; et cum senescallus voluisset eum comburere, terrore ii Gallici, excepto marescallo de Mirapice [3], dissuaserunt ei, timentes quod haberent guerram inde. Geraldus vero de Niort, frater ejus, munivit castrum de Lauraco [4] et de Niort et terram aliam quam potuit; unde || P. 10
citatus a dictis inquisitoribus ipse et mater ejus noluerunt comparere, et idcirco ab ipsis fuerunt condemnati. Fuerant et illis diebus plures alii clerici et laïci condemnati.

Frater Guillelmus Arnardi inquisitor praefatus rediens Tholosam citavit duodecim credentes hae-

1. Huic nomen fuit Joanni de Fricampis, vernacule *de Fricans* vel *de Frichaus*. — Vide de eo *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2459.

2. De vetustiore scilicet parte urbis Carcassonae agitur, in loco eminenti, juxta dexteram ripam Atacis fluvii sita, validissimisque circumdata moenibus, quae vernaculo nomine *la Cité* hactenus vocata est.

3. Is fuit Guido II de Leviis *(de Lévis)*, socii Simonis de Monteforti, Guidonis I scilicet, filius. Quem quidem ante annum 1261 obiisse credibile est. — De eo vide le P. Anselme, *Hist. gén. et chron. de la maison royale de France*, t. IV, pp. 12, 13.

4. Hodie *Laurac* (dép. de l'Aude, arr. de Castelnaudary, cant. de Fanjeaux)

reticorum de Tholosa, scilicet Sycardum de Gamevilla vel de Tholosa, militem, Arnaldum Guidonem veterem, Ramundum de Mirapice et Vitalem Melicum de Cassamilh, Maurandum veterem, Bernardum Siguareii, Ramundum Centuli, Ramundum Rogerium majorem [1], et quosdam alios qui noluerunt comparere nec respondere de fide, imo et minas et terrores intulerunt ut [2] desisteret ab incoeptis. Et videntes quod non dimittebat eos, sed volebat procedere contra ipsos, consilio habito, cum voluntate et assensu comitis Tholosani, mandaverunt ei quod exiret a villa aut ab

1. De iis omnibus, praeclarissimis Tolosae familiis, ut videtur, oriundis, quae sequuntur invenimus.— *Sycardus de Gamevilla,* a loco sic dictus, cui nomen hodie *Saint-Orens-de-Gameville* (dép. de la Haute-Garonne, arr. de Toulouse, cant. de Castanet) : testis in nonnullis instrumentis, annis 1221 et 1231. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, nº 75; — *Layettes du Tr. des Ch.,* II, 2086, 2087, 2158. — *Arnaldus Guido vetus :* consul, annis 1204 et 1205; testis, anno 1204. *(Hist. de Lang.,* édit. Privat, VIII, cc. 502, 506, 516, 527.) — Praeterea, mulierem quamdam, cui nomen *Ricae,* matrem scilicet A. Guidonis, haeresis causa, anno 1237, damnatam fuisse reperimus. (Doat, XXI, ff. 182, 183.) Quem quidem A. Guidonem non alium fuisse ab eo, de quo nunc loquimur, credibile est.— *Maurandus vetus :* familia illa procul dubio oriundus, quae Tolosae tertio decimo saeculo valde innotuit. Verum de eo, deficiente quo agnosci possit praenomine, quidquam certi proponere non est facile.—*Bernardus Siguareii,* vel potius *Siguarii* (vernacule *Siguier* vel *Séguier) :* e familia quadam insigni, quae, duodecimo ac tertio decimo saeculo, multos consules urbi Tolosae praebuit, consul ipse, annis 1218, 1234, 1235, 1241; testis, anno 1220, 1234. *(Layettes du Tr. des Ch.,* II, 2145, 2288; — *Hist. de Lang.,* édit. Privat, VIII, cc. 710, 738, 943.) — *Ramundus Centuli* vel *Centullus* (vernaculo nomine *Centulh* vel *Centolh) :* consul urbis Tolosae, annis 1202, 1203, 1204; testis, anno circiter 1201. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, nis 24, 25, 29, 30, 35, 36, 38, 39, 40; ibid., 356, 357; — *Layettes du Tr. des Ch.,* I, 623; — *Hist. de Lang.,* édit. Privat, VIII, cc. 476, 478, 483, 487. — Quod autem ad Ramundum de Mirapice et Vitalem Melicum de Cassamilh pertinet, cujus quidem nomen vitiatum fuisse manifestum est, ideoque nobis in incerto remansit, nihil invenimus. De Ramundo Rogerio majore vide supra, p. 26, nota 8.

2. *Ut* deest in codice, punctaque nonnulla huic Chronici loco interposita sunt.

Inquisitione cessaret. Ille vero habuit consilium a Fratribus, quod nullo modo cessaret, sed procederet viriliter contra eos. Tandem consules Tholosae et eorum complices, facto impetu, ejecerunt dictum fratrem inquisitorem de domo et de tota villa, ad manus illum trahentes. Quem totus conventus associavit processionaliter usque ad caput pontis Deauratae ultra Garumnam [1]. Ibi enim protestati sunt dicti consules, quod, si cessaret ab Inquisitione, permitterent eum stare in villa sicut Fratres alios. Alioquin, mandabant sibi districte ex parte comitis et eorum, quod exiret de terra comitis sine mora. Ipse vero, accepto fratre Giranno in socium, abiit Carcassonam. Inde mandavit capellanis parrochialibus Tholosanis et priori Sancti Stephani [2] per litteras suas, quod citarent ex parte sua illos eosdem citatos. Quod fecerunt diligenter, quamvis multas minas et terrores eis homines de villa intulissent. Quod videntes consules, qui tunc erant scilicet Griffus de Roaxio, Arnaldus Barravi, Curvus de Turribus, Bernardus de Miromonte, Arnaldus de Sancto Barcio, Pontius de Siolh, Bernardus Siguarius, Ramundus Borellus, Ramundus Rogerius et socii eorum, Maurandus de

1. Pontem illum, e vestigiis quae supersunt (nempe jam diu suppressus est), satis constat, ecclesiae contrarium fuisse juxta Garumnae dexteram ripam sitae, beataeque Mariae virgini dedicatae, cui scilicet ab antiquissimis temporibus *Deauratae* nomen (vulgo *la Daurade)* inditum est.

2. Quis fuerit hic prior, anno 1235, non invenimus.— De Sancto autem Stephano notandum est, hoc vocabulo appellatam fuisse ecclesiam, quae recentioribus saeculis Tolosae cathedralis dicta est.

Bellopodio, Aldricus Maurandi[1], miserunt de nocte pro jam dicto priore Sancti Stephani et Guil-

1. De illis Tolosae consulibus, quos omnes e praeclarissimis urbis hujus familiis ortos fuisse constat, quae sequuntur exponemus. — *Griffus de Roaxio,* vel *Grivus,* sic cognominatus, sed vero nomine *Petrus :* e familia Tolosana inter caeteras duodecimo ac tertio decimo saeculo insigni, dictaque vernacule *Roais* vel *Roaix ;* consul, forsitan jam ab annis 1193, 1194, 1197; testis, annis 1202, 1219, 1221, 1222, 1226, 1247 (?). Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 18, 25, 75, 90, 101; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VII, pp. 230, 236, 239. — *Arnaldus Barravi* (scriptum est in codice *Barali,* sed prave, sicut satis liquet), vernaculo nomine *Barrau :* consul, ut videtur, annis 1221, 1222, 1223, 1225, 1234; testis, annis 1222, 1226, 1235, 1238, 1247; inter obsides a Raimundo septimo, de muris Tolosae diruendis, anno 1229, datos indicatus. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 75, 76, 80, 81, 87, 97, 102, 103; — *Layettes du Tr. des Ch.,* II, 1994, 2325, 2369, 2739; — *Hist. de Lang.,* édit. Privat, VII, pp. 236, 238, 239. — Cujus uxorem, vocatam *Dias,* tanquam haereticam, anno 1237, damnatam fuisse reperimus. (Doat, XXI, ff. 183-185.) Praeterea, alium ejusdem nominis Tolosanum civem exstitisse compertum habemus, illius de quo locuti sumus forsitan patrem, aut eidem certe propinquum. Quem consulem fuisse invenimus, annis 1192, 1193, 1200, 1214. testemque pariter, annis 1192, 1202. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 16, 21, 23, 39; — *Layettes du Tr. des Ch.,* I, 399, 786, 1072; — *Hist. de Lang.,* édit. Privat, VII, p. 230.—Ab eodem quoque, tanquam notario publico, una cum Guillelmo de Sancto Petro, pleraque instrumenta, anno 1204, transcripta fuisse constat, e quibus codex ille vocatus *Cartulaire du Bourg,* nobismet ipsis usitatissimus, conflatus est.— *Curvus de Turribus :* consul, anno 1246; testis, annis 1235, 1237, 1238, 1243, 1244. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n° 35;—*Layettes du Tr. des Ch.,* II, 2380, 2582, 2721, 3029, 3100, 3229; — *Hist. de Lang.,* édit., Privat, VIII, c. 1219. — *Bernardus de Miromonte,* alias *de Miromundo* (vernacule *de Miramon*) : episcopo Tolosano, Raimundo scilicet de Miromonte vel de Falgario, sicut credibile est, consanguineus; consul, annis 1220, 1234; testis, annis 1221, 1225, 1237, 1255; inter obsides a Raimundo septimo, anno 1229, datos annumerandus. Hunc quoque invenimus, Alfonso, comiti Pictavensi, anno 1249, juramentum praestitisse. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 90, 94; —*Layettes du Tr. des Ch.,* II, 1712, 1994, 2325, 2581; — *Hist. de Lang.,* édit. Privat, VIII, cc. 1261, 1369. — *Arnaldus de Sancto Barcio,* vero nomine *Arnaldus-Guillelmi :* vicario Tolosani comitis, Durando scilicet de Sancto Barcio, ut videtur, genere proximus; consul, annis 1221, 1222, 1223, 1225, 1226, 1231, 1234; testis, annis 1208 (?), 1227, 1231, 1232, 1235. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 75, 80, 81, 87, 96, 97; ibid., 356, 357; — *Layettes du Tr. des Ch.,* I, 859, 860; II, 1948, 2138, 2145, 2155, 2208, 2325, 2369; — *Hist. de Lang.,* édit. Privat, VIII, cc. 757, 943. — *Poncius de Siolh,* vel *de Sioil,* latine *de Siolio, de Siollio,* (hodie *Seilh,* dép. de la Haute-Garonne, arr. de Toulouse, cant. de Grenade-sur-Garonne) : consul, annis 1221, 1227, 1234; Raimundi Jordani, domini Insulae Jordanis (hodie *L'Isle-en-Jourdain,* ch.-l. de cant., arr. de Lombez,

lelmo Vaquier [1], et pro aliis capellanis qui citaverant, et ad Domum communem eos tenuerunt per partem noctis. Postea vero eos extra villam ejecerunt, dicentes et affirmantes quod, si quis de caetero eos citaret, sine mora interficeretur; et idcirco nullus de clericis vel religiosis ex tunc ausus fuit amplius eos citare.

Fecerunt tunc temporis dicti consules tubicinari per villam ex parte comitis et sua, in poena corporis et rerum, quod nullus aliquid in toto mundo daret, vel venderet, vel accommodaret, vel aliquid boni faceret Fratribus Praedicatoribus ullo modo. Hoc etiam edictum fecerunt de episcopo Tholosano et etiam de canonicis Sancti Stephani. Unde oportuit tunc episcopum exire ultra villam, quia non

dép. du Gers), curando testamento, anno 1256, suffectus. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, nº 73; ibid., 356, 357; — *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2325; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, c. 1404. — *Ramundus Borellus* : familia Tolosae insigni oriundus; consul, anno 1234; testis, anno 1242. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2325, 2955. — *Ramundus Rogerius* : de eo vide supra, p. 26, nota 8. — *Maurandus de Bellopodio*, vernacule *de Belpech* : e familia Tolosana valde frequenti, Maurandoque veteri, de quo supra, ut videtur, propinquus; consul, anno 1234, ; testis, annis 1242, 1245, 1252. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2325, 2997, 3241, 3351, 3372; III, 4027; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, c. 1172. — *Aldricus* (vel *Oldricus, Oalricus*) *Maurandi* : ex eadem familia quae supra indicata est; consul, anno 1234; testis, annis 1221, 1243. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, nº 75; — *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2325, 3079. — Nec concludendo praetermittendum esse videtur, suppeditatum a Bernardo Guidonis de iis omnibus, quos jam recensuimus, testimonium. Hos enim, eodem anno, quo Guillelmus Pelisso, id est anno 1235, consules exstitisse ille affirmavit, quum Fratres Praedicatores, hoc quoque anno, Tolosa expulsos retulit. (Vide, bibl. Tolos., Iª serie, ms. 91, fº 28 D; ms. 273, fº 118 B.) Notandum tamen Ramundo Rogerio *Bernardi* praenomen, semel certe, in codice videlicet nº 91, ab illo auctore inditum fuisse.

1. Guillelmum quemdam *Vaquerium* vel *Vacherium*, vernacule *Vaquier*, in duobus instrumentis, anno 1198, conscriptis, reperimus. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, I, 480, 481.

poterat intus habere necessaria. Non erat enim aliquis ausus ei coquere panem nec alia facere hujusmodi. Nos vero Fratres satis habebamus ne-
P. 11. cessaria ab amicis et || catholicis, qui etiam cum periculo portabant nobis panem et caseos et ova per parietes horti, et modis omnibus quibus poterant. Quod intelligentes dicti consules villae posuerunt ad portas nostras custodes suos, et ex parte horti, qui de die et de nocte custodiebant domum, ne aliqua necessaria ad nos intromitterentur, et etiam aquam de Garonna omnino nobis auferebant; quod etiam erat nobis majus damnum, quia non poteramus coquere cum aqua nostra legumina. Tunc dolebant catholici, plangebant matronae, fideles suspirabant, murmurabant et gemebant; sed multi de nocte projiciebant nobis panes bonos et magnos et placentas et caseos in hortum ultra parietes, caventes ne custodes hoc viderent. Ita fuimus, et bene per Dei gratiam, per tres hebdomadas et circa, gaudentes et exultantes in Domino et devote cantantes officium in ecclesia.

Tunc temporis, frater Guillelmus Arnaldi inquisitor misit litteras suas de Carcassona fratri Poncio de Sancto Aegidio, priori nostro, mandans ei, quia non erant ausi alii citare dictos haereticales, quod ipse injungeret duobus Fratribus nostris, quod illi citarent eos ex parte ejus peremptorie, ut venirent Carcassonam responsuri de fide sua coram eo, et alios duos Fratres illis adjungerent qui essent testes dictae citationis. Tunc prior fecit pul-

sari ad campanam, et, Fratribus congregatis, dixit hilari vultu : « Nunc, fratres, gaudete, et valde gaudere debetis, quia quatuor de vobis debeo mittere modo per martirium ad curiam summi regis. Tale enim mandatum habeo a fratre Guillelmo inquisitore et defensore fidei, et creditur firmiter, quod quicumque eos citaverint ista via peremptoria statim interficientur. Nam ita affirmant hoc consules, et alii citati hoc minantur. Idcirco, volo scire a vobis si estis parati mori pro fide Domini nostri Jesu Christi, et volo quod illi qui sic parati sunt statim faciant venias suas. » Tunc omnes quasi uno ictu fecerunt venias in capitulo; et ipse gaudens fecit eos omnes surgere, et respondit dicens : « Benedictus Dominus, quia invenio vos paratos. » Et multa alia verba dixit nobis, et addidit : « Modo ego deliberabo quos mittam, quo omnes vultis ire, quia non sunt omnes necessarii. » Tunc elegit ad citandum fratres Ramundum de Fuxo et Joannem de Sancto Michaele, de Lemovicinio; fratrem autem Guidonem de Navarra, Lemovicensem [1], et fratrem Guillelmum Pelhisso elegit pro sociis et testibus.

1. De Ramundo de Fuxo, ad prioratum conventus Tolosani, exeunte anno 1242, evecto, eamdemque dignitatem, anno 1258, quo mortuus est, retinente, vide dissertationem nostram : *L'Inquisition dans le midi de la France*, etc., p. 65, nota 2. — De Joanne de Sancto Michaele nihil invenimus. — Quod autem ad Guidonem de Navarra vel Navarram pertinet, eum a Bernardo Guidonis accepimus quartum priorem conventus Agennensis exstitisse, anno 1262, et Caturci, anno circiter 1278, aetate jam provectum, obiisse. Vide, bibl. Tolos., ms. 273, I^a serie, f° 161 B. — Illum etiam inquisitoris munere, anno circiter 1247, Carcassonae functum fuisse constat. Vide Bouges, *Histoire ecclésiastique et civile de la ville et diocèse de Carcassonne*, pp. 470, 471.

Ipsi vero bene confessi et a priore ab omnibus peccatis suis generaliter absoluti, ut filii obedientiae, obedientiam illam viriliter et gratanter acceperunt, et diligenter et impavide compleverunt, ita scilicet, quod non sufficiebat eis quaerere illos per plateas et domos suas, sed usque ad interiora cubicula quaerebant eos. Quando autem fuerunt in domo Maurandi veteris, quaerentes eum, venerunt filii ejus, scilicet Maurandus et Ramundus Maurandus [1] luscus, cum impetu, et traxerunt Fratres foras, verba contumeliosa eis geminantes, trahentes per capillos aliquos, et impellentes extra domum, et percutientes clamabant, volentes eos vulnerare cum cultellis, nisi quidam prohibuissent eos, inter quos erat quidam burgensis, Petrus de Cossano [2], qui retrahebat eos ne facerent, quia catholicus erat.

Completa autem illa citatione, habuerunt con-
P. 12. silium consules cum || haereticalibus, quod omnes Fratres de villa expellerent, ex quo non cessa-

1. De Maurando vetere, vide supra, p. 30, nota 1. — De Maurando, absque praenomine, notandum esse videtur, *Moranz* quemdam, inter obsides a Raimundo septimo, de muris Tolosae diruendis, anno 1229, datos indicari. (*Layettes du Tr. des Ch*, II. 1994.) Praeterea, Maurandum quemdam, absque praenomine et ipsum, invenimus testem, annis 1225, 1226, 1245. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n° 75; — *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 3351. — Ramundi autem Maurandi nomen duobus instrumentis, annis 1235, adscriptum legitur. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2334, 2369.

2. Vel de *Cosceano, Cociano, Cossanis, Coceanis*, vulgo *de Cossa*, vel *de Cossas:* e familia loco illo, ut videtur, oriunda, cui nomen hodie *Coussa* (dép. de l'Ariége, arr. de Pamiers, cant. de Varilles); consul, anno 1246; testis, annis 1226, 1252; unus ex obsidibus a Raimundo septimo, anno 1229, datis. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n° 101; — *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 1994; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VII, p. 240; VIII, c. 1313.

bant ab incoeptis, nec videbantur timere mortem. Dicebant enim : « Multo melius est nobis, ut eos de villa expellamus quam si occiderentur. » Et in hoc firmaverunt suum consilium. Tunc aliqui amici nostri narraverunt hoc priori ; et prior, habito consilio cum Fratribus domus et cum fratre Laurentio [1], qui eadem die venerat de Parisius ad legendum in theologia, quia magister Joannes de Sancto Aegidio jam recesserat de domo cum sociis suis, concordaverunt in hoc suum consilium, quod libros omnes et calices et pannos ecclesiasticos extraherent de domo, et commendarent omnia amicis suis ad tempus ; quod etiam fecerunt.

In sequenti vero die, feria tertia post festum omnium Sanctorum, nonis novembris, anno Domini 1235 [2], celebrata missa conventuali, prior monuit Fratres, quod honeste et patienter se haberent in omnibus, et quod nullus exiret nisi tertio compulsus. Et videns quod aliquantulum tardabant venire consules, quia complices suos congregabant et alios

1. Anglicus natione, magisterque in artibus et in medicina. Hunc, postquam beato Dominico inter primos associatus est, Lutetiam missum fuisse accepimus, ut ordinem Fratrum Praedicatorum in illam urbem importaret atque ibidem constitueret. De eo vide, bibl. Tolos., ms. 273, I[a] serie, ff. 36 A, 41 A ; — Du Boulay, *Hist. Univ. Paris.*, III, p. 697 ; — *Script. ord. Praedic.*, I, 16[a].

2. De illa temporis notatione valde ambigere videntur Quétif et Échard. Namque, hoc loco Chronici partim transcripto, pergere : *Ubi erratum tamen forte notarii et est legendum feria secunda ; nam eo anno erat lit. Dom. G, ac proinde nonae die lunae non die martis.* (*Script. ord. Praedic.*, I, 100 [b].) — De hoc quoque haesissse Bernardum Guidonis constat. Nempe, postquam expulsos Tolosa Fratres Praedicatores narravit : *Actum est hoc,* aït, *ut praemissum est supra, anno Domini M°. CC°. XXXV°, nonis novembris, vel sequenti die, scilicet VIII ydus novembris.* (Bibl. Tolos., ms. 273, I[a] serie, f° 118 B.)

quos poterant, dixit quod bonum erat, quod comederemus quidquid contingeret. Dictis horis, et cum Fratres essent in mensa circa quadraginta, et comederent, veniunt consules cum maxima multitudine, et nuncii eorum clamaverunt ad portam quod statim aperirent, alioquin frangerent[1]. Tunc janitor ivit ad priorem, et dixit hoc ei. Prior vero exivit ad eos, et rogavit consules quod permitterent conventum comedere, quia erat in mensa. Sed ipsi nullo modo hoc facere voluerunt; imo statim garciones eorum introiverunt domum. Tunc prior pulsavit campanam, et Fratres omnes surrexerunt de mensa, et processionaliter intraverunt ecclesiam cum *Miserere mei, Deus,* cantando, et, sicut moris est, reddiderunt gratias Deo, et ibidem remanserunt. Consules vero mandaverunt districte ex parte comitis et sua, quod statim ipse prior cum toto conventu suo exiret de villa; alioquin ipsi ejicerent eos violenter. Prior vero dixit eis, quod nullo modo[2] hoc faceret, ponens pro se et Fratribus aliquas bonas rationes, quas ipsi nullo modo recipere voluerunt. Interim garciones eorum iverunt ad refectorium, et ea quae invenerunt comederunt et biberunt. Tunc prior accepit crucem et capsam, quae erat in pede crucis, in qua erant reliquiae, et sedit in claustro tenens sic crucem in manibus, et conventus totus sedit ibidem coram consulibus et eorum complicibus. Tunc ipsi iterum et iterum

1. *Frangeret* in codice.
2. *Modo* deest in codice.

monuerunt priorem et conventum, quod ita recederent. Sed Fratres hoc facere noluerunt. Tunc Bernardus Siguarius et Ramundus Rocgerius et Bernardus de Miromonte et quidam alii acceperunt priorem per latera, et eum violenter de claustro extraxerunt. Alii vero socii et nuntii consulum Fratres omnes similiter extraxerunt extra claustrum. Cum vero Fratres fuerunt ad portam domus, frater Laurentius, qui venerat ad legendum, et frater Arnaldus Catalani prostraverunt se ad terram. Tunc Ramundus Rocgerius et quidam alii eos per caput et pedes capientes violenter extra || P. 13.
portam portaverunt. Et sic omnes Fratres extra villam trahentes et impellentes ejecerunt. Verumtamen, non percutiebant eos aliter, nisi quatenus est jam dictum. Prior vero incepit cantare alta voce et conventus cum eo simbolum fidei, sicut cantatur in missa, quando eum extrahere inceperunt, deinde *Te Deum laudamus* et *Salve Regina,* cum fuerunt ante ecclesiam beatae Mariae Deauratae. Quosdam Fratres infirmos cum fratre Dalbio [1] decrepito, qui longo tempore fuerat capellanus in ecclesia beatae Mariae Deauratae et etiam Dealbatae [2], in domo usque ad septem dimiserunt; sed postea, post paucos dies, etiam ipsos de villa ejecerunt. Solum vero fratrem Dalbium cum quodam converso in ecclesia Deauratae stare permiserunt.

1. De eo nihil invenimus.

2. Vulgo la *Dalbade;* quae quidem in numero parrochialium ecclesiarum urbis Tolosae hodie habetur.

Fratres vero[1] ejecti de villa iverunt ad boriam Sancti Stephani, quae dicitur Braquevilla[2], ultra Garonam. Homines autem de villa non erant ausi sociare Fratres in exitu, nec aliquid dare vel mittere propter edictum consulum, et ad hoc etiam exploratores posuerunt, si in aliquo eis servirent. Crastina autem die, prior Fratres suos dimisit per conventus provinciae. Ipse vero stetit per aliquot dies circa Tholosam, et apud Portellum recepit ad ordinem magistrum Guillelmum de Sancto Gaudentio[3], qui magister fuerat in logica, et in Montepessulano magistraliter inceperat in phisica. Hic fuit homo magnae sanctitatis et mirabilis austeritatis. Qui postea in pluribus conventibus in theologia fuit lector. Quando etiam dolebant Fratres expelli de Tholosa, intravit ordinem ibi frater Ramundus Thomae, de Tholosa[4], homo religiosus et bonus, et in obedientia promptus et frequentissime comprobatus. Volebat enim esse cum Fratribus in ordine in tribulatione eorum.

Tempore illo, ivit frater Pontius de Sancto Aegidio Romam cum fratre Ramundo de Fuxo, et narravit domino papae Gregorio[5] et cardinalibus, quae facta fuerant in terra ista contra fidem, et quomodo

1. *Eos* in codice.

2. Sic vocatur locus, haud procul a sinistra ripa Garumnae situs, vicoque illi proximus, cui nomen olim *Portellum,* hodie vero *Portet-Saint-Simon* (dép. de la Haute-Garonne, arr. et cant. de Toulouse).

3. De eo nihil invenimus.

4. De eo nihil invenimus.

5. Scilicet nono; proximus post Honorium tertium ad summum pontificatum evectus, eodemque functus ab anno 1227 ad annum 1235.

Fratres in negotio se habuerant. Unde mandavit dominus papa comiti Tolosano, Ramundo ultimo [1], quod Fratres apud Tolosam reduceret, et Inquisitionem contra haereticos fieri in terra sua permitteret, et Fratres etiam in hoc juvaret. Et super hoc convenit dictum comitem legatus, archiepiscopus Viennensis, cum inquisitoribus apud Carcassonam. Comes vero, habito consilio, reduxit episcopum et inquisitores, et fratrem Pontium recepit in Tolosa. Sequenti anno Domini 1236 post ejectionem, in octava scilicet beati Augustini, patris nostri [2], tunc redierunt Fratres de conventibus ubi erant ad conventum Tolosanum [3].

Tunc temporis, datus fuit socius fratri Guillelmo Arnaldi inquisitori a || domino legato in negotio P. 14.
Inquisitionis frater Joannes de Notoyra [4], minister in provincia ista Fratrum Minorum. Sed, quia ipse frater nimis erat occupatus in officio alio, posuit pro se fratrem Stephanum de Sancto Tyberio [5], virum modestum et admodum curialem. Et

1. Id est Raimundo septimo; ille enim e principibus stirpis suae ultimus regimen Occitaniae obtinuit.

2. Neminem profecto fugit, a beato Dominico regulam sancti Augustini ordini suo impositam fuisse. Vide nempe apud Percin, *Monum.*, p. 17, n° 37.

3. Totum illum Chronici locum, quo Guillelmus Pelisso expulsos Tolosa Fratres Praedicatores enarravit, *Monumentis* suis, a verbis : *Eodem tempore, frater Guillelmus Arnaldi...* (supra, p. 28), ad verba : *de conventibus ubi erant ad conventum Tolosanum...*, inseruit Percin, sed nonnulis mutatis multisque etiam interpositis. Vide ad annum 1235, n[is] 25-37. — Hanc quoque narrationem vide apud Bernardum Guidonis (bibl. Tolos., ms. 273, I[a] serie, ff. 10 B-11 A, 118 B-119 A), atque apud Geraldum de Fracheto (eadem bibl., ms. 191, I[a] serie, f° 36 C).

4. Vel de *Netoya*, sicut saltem scripsit Percin, qui hunc locum Chronici retulit. Vide *Monum.*, p. 51, n° 38.

5. Vernacule de *Saint-Thibéry*. — De eo deque ejus nece, nec non de miraculis

tunc ambo Inquisitionem unanimes uno corde pariter bene et laudabiliter inceperunt, et usque ad diem martirii [1] sui cum sociis suis viriliter processerunt.

Anno Domini 1235, quarto idus novembris, frater Guillelmus Arnaldi inquisitor existens in Carcassona, tulit sententiam excommunicationis contra consules superius nominatos, tanquam contra fautores haereticorum [2].

In diebus illis, factus fuit prior Tholosanus frater Petrus Cellani, qui erat de Tolosa, vir religiosus et grandaevus. Et, postquam fuerunt aliquandiu Fratres in conventu Tolosano, dictus prior cum fratre Guillelmo Arnaldi, collega suo, ivit apud Montemalbanum, in dioecesi Cadurcensi, ubi contra haereticos faceret inquisitionem. Et dum staret ibi, anno Domini 1236, quarto nonis aprilis, quodam die [3] venit ad domum nostram Tolosae Ramundus Grossi [4], de Tolosa, qui fuerat perfectus haere-

quae hanc necem secuta sunt, vide Wadding, *Annales Minorum,* II, pp. 69-71; III, p. 6.

1. Guillelmum Arnaldi et collegam ejus, Stephanum de Sancto Tiberio, simulque cum iis novem officii Inquisitionis ministros, jam supra indicavimus, Avenioneti, anno 1242, trucidatos fuisse. De hoc vide opusculum a nobis jam toties citatum, scilicet *Martyres Avenioneti,* apud *Monum.* — Vide etiam *Histoire authentique des inquisiteurs tués à Avignonet en 1242,* auctore L. D. de Montgailhard; Tolosae, 1869. — Notandum praeterea de verbo *martyrio,* a Guillelmo Pelisso usurpato, occisos Avenioneti inquisitores statim a Fratribus Praedicatoribus pro martyribus habitos fuisse. Quapropter, saepenumero sed frustra efflagitavere, ut, annuentibus summis pontificibus, Guillelmus Arnaldi ejusque socii beatorum titulo legitime decorarentur. De ea re vide op. supra cit., *Histoire authentique*, etc., pp. 39-58.

2. Hanc excommunicationis sententiam vide apud Doat, XXI, ff. 159-162.

3. *Die* deest in codice.

4. Hunc, anno 1209 vel 1211, quum jam ad supplicium traheretur, a beato Do-

ticus in terra ista viginti duobus annis vel circa. Qui devote et humiliter reddidit[1] se, sponte conversus ab haeresi, non vocatus nec citatus tunc, ad voluntatem Fratrum omnimodam faciendam. Quem frater Guillelmus Bonisolatii[2], subprior, tenens locum prioris, recepit domo conversum ab haeresi gratis. Et, mandato fratris Guillelmi Arnaldi et fratris Stephani inquisitoris, dictus subprior et frater Joannes, minister Minorum in Vasconia, et Petrus, prior ecclesiae Deauratae, et magister Arnaldus Pellisson, praecentor Sancti Stephani, et magister Nicolaus de Punctis, capellanus ecclesiae Deauratae[3], et quidam alii Fratres, receperunt confessionem ejus de haeresi, et pluribus diebus eam scripserunt ad confusionem multorum.

minico morti ereptum fuisse accepimus. Namque eum, tarde quidem, sed tandem quandoque, ad fidem catholicam reversurum esse praeviderat vir futurorum praescius atque, ut aït Percin, *prophetiae spiritu clarus*. Vide *Monum*, p. 8, nº 38.

1. *Reddit* in codice.

2. Vel *de Bonosolatio*, vernacule *de Bonsolas*; Alestensis (*d'Alais*); prioratu conventus Sancti Vincentii de Castris functus tribus annis, posteaque absolutus in capitulo generali Montispessulani habito, anno 1265. Vide, bibl. Tolos., ms. 273, Iª serie, fº 184 A. — De eo ibidem quae sequuntur : *Hic frater Guillelmus, vir devotus et sanctus, lacrimis devotionis jugiter affluens, obiit in conventu Castrensi, pridie kalendas augusti, anno Domini Mº. CCº. LXXIº. Quiescit in claustro ante capitulum.* (Fº 259 A.) — Hunc quoque invenimus, vice quorumdam inquisitorum, scilicet Bernardi de Caucio et Joannis de Sancto Petro, anno 1246, mense julio, testimonia, una cum Guillelmo Pelisso recepisse. Vide, bibl. Tolos., ms. 155, 1ª serie, fº 125 A.

3. De iis nihil reperimus. — Notandum tamen de magistro Nicolao de Punctis (vernacule *de Pointis*), regendae ecclesiae Deauratae, post R. de Ferrariis (de hoc vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2428), verisimiliter suffecto, magistrum quemdam *Guillelmum de Punctis*, in pluribus instrumentis, annis 1241, 1242, 1245, exaratis inveniri (vide, ibid., ut supra, II, 2944, 2953, 3378), eumque capellano illi ecclesiae Deauratae, sicut credibile est, propinquum exstitisse. Quod quidem pariter notari posse videtur de magistro Arnaldo Pellisson, eadem familia, qua et ipse scriptor Chronici nostri, forsitan oriundo.

Et multi tunc confessi sunt veritatem, et inde Inquisitio fuit elucidata. Quo viso et intellecto, gavisi sunt Fratres valde, et credentes haereticorum supra modum fuerunt perterriti, qui conscii erant sibi iniquitatum suarum. Dictus vero Ramundus Grossi ita bene et integre et ordinate et fideliter facta haereticorum et credentium est confessus, quod sine divina Providentia factum esse non debet aliquo modo aestimari.

Venit autem prior et frater Guillelmus Arnaldi inquisitor, et vocaverunt multos et magnos ad confessionem. Et multi per se veniebant timentes deprehendi. Dedit autem Dominus tunc istam gratiam negotio fidei, quod, cum dictus Ramundus esset unus et solus testis in multis, nullus tamen verbum suum revocabat, aut ei contradicebat. Imo, quamplurimi dicebant : « Domini, sciatis quod totum est ita sicut dominus Ramundus dicit ; » et rogabant etiam eum quod ipse eis diceret, quid amplius in confessionibus suis essent dicturi, quia
P. 15. ipse sciebat || plenariam veritatem.

In tempore illo, multae haereticationes defunctorum magnorum et aliorum, quae fuerant factae in Tolosa et in locis aliis extra villam, per ipsum Ramundum Grossi revelatae sunt, et inquisitio haereticorum per ipsum totaliter, Deo dante et jubente, directa est [1] in tantum, quod magni burgenses et nobiles domini et quidam alii per sententiam

1. *Est* deest in codice, sed supplendum esse videtur.

condemnati sunt, et de cimiteriis villae a dictis Fratribus, praesente vicario [1] et populo, extumulati et ignominiose ejecti, et ossa eorum et corpora foetentia per villam tracta, et voce tubicinatoris per vicos proclamata et nominata, dicentis : « *Qui aytal fara, aytal perira* [2], » et tandem in Prato comitis sunt combusta, ad honorem Dei et beatae Virginis, matris ejus, et beati Dominici, servi sui, qui sic feliciter ordinem ipsum in Tolosa inchoavit contra haereticos, et [3] ita, in festo suo ibidem primo celebrato ac deinceps, sicut pretactum est, felicissime a Domino fieri impetravit [4].

Tunc temporis, condemnati fuerunt mortui, qui in morte fuerant haereticati, Embrinus major et Petrus Embrini et Oliva, mater eorum, et Alesta, uxor domini Embrini [5], et Ramundus

1. Quis fuerit hic vicarius, anno 1236, non bene compertum habemus. Petrum de Tolosa fuisse forsitan judicandum est, quem, anno praecedente, quum scilicet Tolosa Fratres Praedicatores expulsi sunt, illo vicarii munere functum Bernardus Guidonis retulit. Vide, bibl. Tolos., ms. 273, I[a] serie, f° 118 B.

2. Id est : *Qui sic faciet, sic peribit.*

3. Hunc codicis locum, utpote subobscurum, explanare, si fieri posset, tentavimus, addito verbo *et*.

4. Ea omnia, quae ad conversionem Raimundi Grossi suppeditataque ab eo de haereticis Tolosanis indicia pertinent, compendii quidem in modum relata, invenire est apud Percin. Vide *Monum.*, p. 51, n° 41.

5. Hos omnes familia illa Tolosana satis frequenti oriundos fuisse non dubium est, cujus nomen in ejus aetatis instrumentis sic varie scriptum reperimus : *Ebrinus, Ibrinus, Abrinus,* id est vernacule *Embris, Embry,* vel etiam *Ybri.*— De priore autem illorum, cui nomen Embrino majori inditum est, nihil certi omnino, deficiente ejusdem praenomine, proponendum habemus. Notemus tamen oportet Embrinum quemdam, absque praenomine, tanquam testem indicari, annis 1192, 1219, 1222. Vide nempe, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 20, 76; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VII, p. 235. — Quod autem ad Petrum Embrinum pertinet, Tolosanum quemdam ejus nominis consulem invenimus, annis 1184, 1194, 1197, 1198, 1199,

Isarni [1] et duae sorores ejus, scilicet Dyas, uxor domini Arnaldi Barravi, et Ramunda, uxor Bertrandi de Roaxio [2], et quidam alii de Burgo, et tracta fuerunt eorum ossa per villam et combusta.

De Civitate similiter fuerunt condemnati mortui Bertrandus Peyrers et Joannes Saladis [3] et Petrus Jacmars [4] et Magna, uxor Jordani de Villanova, et Ramunda, ejus filia, uxor Arnaldi de Villanova [5], et filia Jordani praedicti, uxor Bertrandi de Sancto Lupo [6], militis, et Stephanus de Hys-

1200, 1201, 1212, nec non testem pariter, annis 1214, 1221. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 10, 13, 15, 18, 23, 75; ibid., 356, 357; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 465, 466, 639.

1. Consul, anno 1225. Vide, Archiv. munic. Tolos., 356, 357.

2. Consul, anno 1222; testis, annis 1225, 1227, 1235, 1249. Vide, Archiv. munic. Tolos., 356, 357; — *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 1947, 2369; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 748, 757, 1251. — Cujus quidem filium, Raimundum nomine, in Lombardiam confugisse, atque ibidem, ante annum 1256, vixisse constat. Vide, *Archives départementales de la Haute-Garonne, fonds des Dominicains, Confessions d'hérétiques recueillies en 1254 et 1256, Confessio Guillelmi Furnerii, de Tholosa, conversi,* f° CCI A.

3. De eo vide infra, p. 51, nota 2.

4. De eo nihil invenimus.

5. Jordanum de Villanova reperimus consulem fuisse, annis 1196, 1197, 1201, 1214, 1219; testem vero, annis 1202, 1204, 1208, 1214, 1218, 1219, 1220, nec non, ut videtur, annis sequentibus, scilicet, 1221, 1222, 1226, 1243, 1245, 1247. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 12, 17, 25, 26, 27, 75, 80, 90, 91, 92, 94, 103; ibid., 356, 357; — *Layettes du Tr. des Ch.*, I, 858, 1072, 1440, 1538; II, 3079, 3097, 3229; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VII, pp. 235, 242; ibid., VIII, cc. 439, 441, 647, 834. — Arnaldum autem, praedicti Jordani generum, consulem fuisse compertum habemus, anno 1218, atque testem, annis 1203, 1226, 1241. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n° 102; — *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2888; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 495, 709. — Animadvertendum quoque, Arnaldum quemdam de Villanova numero consulum urbis Tolosae, jam ab anno 1188, adscriptum reperiri. Vide, Archiv. munic. Tolos., 356, 357.

6. Hunc in duobus instrumentis, annis scilicet 1233 et 1243, exaratis invenimus, una cum praedicto Jordano de Villanova, atque ejusdem fratre, Isarno. Hic etiam inter cives Tolosae notatus est, qui, anno 1243, de pace Parisiensi fideliter servanda juramentum praestiterunt. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2230, 3029,

pania [1], Bernardus-Ramundi Teuler [2] et uxor ejus, et Fays et Blanqua de Gamevilla [3], et quidam alii de Civitate.

Quidam etiam vivi fuerunt condemnati pro haereticis. Quorum quidam fugerunt, et facti sunt haeretici perfecti; quidam postea redierunt. Inter quos fuerunt Bernardus Embris [4], Ramundus Centolhs, Petrus-Guillelmus de Orto, Ramundus Rogeri, Arnaldus Rogeri [5], qui fuit postea episcopus haereticorum, Armanus quoque de Roaxio [6], Sycardus de Tolosa, miles, Stephanus Massa [7], Pe-

3079. — Notandum praeterea, Bernardum quemdam de Sancto Lupo, anno 1255, tanquam civium Appamiarum procuratorem, posteaque, anno 1265, tanquam testem, in duobus instrumentis indicari. Vide *Hist. de Lang.*, VIII, cc. 1368, 1547. Quem quidem illius, de quo supra, forsitan fratrem filiumve, aut eidem certe propinquum fuisse judicandum est.

1. De eo nihil exponendum habemus; animadvertendum tamen judicamus, Arnaldum quemdam de Yspania in instrumento, anno 1243, conscripto, nominatum fuisse. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 3073.

2. De eo nihil invenimus.

3. Ex his duabus posteriorem certe familia illa ortam fuisse satis apparet, qua Sycardum etiam de Gamevilla vel de Tolosa, de quo supra mentio facta est, oriundum jam diximus.

4. Hunc Embrino majori atque Petro Embrini, qui paulo supra nominati sunt, propinquum fuisse haud dubium est.

5. Ramundo Rogeri, sicut credibile est, propinquus; consul, annis 1222, 1223; testis, annis 1218, 1226. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 87, 92, 102; ibid., 356, 357.

6. Vel *Alamannus, Alamandus*. Hunc, Albigensium forsitan episcopum, omniumque illius aetatis haereticorum quasi pertinacissimum fuisse accepimus. Nam, quum primo crucibus passagioque transmarino mulctatus fuisset, bis postea, anno scilicet 1237, tanquam contumax, annoque iterum 1248, vix tandem inquisitorum jussis obsequens, damnatus est. — De eo vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2334, 2925 (?); — bibl. Tolos., ms. 155, I[a] serie, ff. 205 A-206 A; — Bibl. nat., ms. lat. 9992, f[o] 11 A; — Doat, XXI, ff. 143-145. — Vide etiam, Schmidt, *Histoire et doctrine de la secte des Cathares ou Albigeois*, I, p. 315; — *Biographie Toulousaine*, II, p. 318; — nec non dissertationem nostram : *L'Inquisition dans le midi de la France*, etc., pp. 73, 74.

7. De eo nihil invenimus. Notandum est tamen, mulierem quamdam, Arnaldam

trus de Roaxio [1], Pontius de Gamevilla [2], Guillelmus Mercadier et Cortesa, soror ejus, Arnaldus-Guillelmus Peyrer [3] et uxor ejus Ondrada [4], mater ejus et mater matris et pater Arnaldi Peyrer, et Pictavinus Laurenciae [5] et Bartholomaeus Brens [6].

Maurandus etiam senex factus est haereticus perfectus, et Arnaldus de Villanova, filius Jordani, Petrus de Vobilla [7], Guillelmus-Petrus Du-
P 16. ran [8], Miquel || de Pinu [9], na Cadolha Bren-

de Massa nomine, anno circiter 1243, combustam fuisse. Vide Schmidt, op. cit., I, p. 324.

1. De eo, cui cognomen quoque *Griffo* vel *Grivo* fuit, vide supra, p. 32, nota 1.

2. De isto nihil invenimus. Eum nempe credibile est alium fuisse ab illo Poncio de Gamevilla, quem consulem Tolosae, jam ab annis 1180 et 1184, testemque annis 1181 et 1182, exstitisse constat. Vide, *Hist. de Lang.*, édit. Privat, cc. 356, 362, 365, 376. — Ambos tamen sanguine conjunctos fuisse satis liquet.

3. Guillelmum Mercadier vel Mercader atque Arnaldum-Guillelmum Peyrer, postea in Lombardiam confugisse atque ibidem vixisse accepimus. Illos enim Cremonae, apud haereticorum episcopum, scilicet Mecer Vivent, anno circiter 1253, a se visos fuisse retulit Guillelmus Furnerii. Vide, *Archiv. départ. de la Haute-Garonne*, ibid., ut supra, f° CCI A.

4. Hanc mulierem apud Doat forsitan indicatam fuisse judicandum est, in quodam instrumento, de quo pauca infra exponemus.

5. Forte corrigendum esset : *Pictavinus, filius Laurenciae.* Namque Peytavinum quemdam, filium Laurencie de Tholosa, Placentiae, ut videtur, referente Guillelmo Furnerii, vixisse invenimus. Vide, *Archiv. départ. de la Haute-Garonne*, ibid., ut supra, f° CCI B.

6. De eo nihil invenimus. Ejus vero nomen ab illo loco sumptum fuisse apparet, quem *Berencs* quoque vel *Berengs* olim dictum accepimus, nos autem hodie vocamus *Brens* (dép. du Tarn, arr. et cant. de Gaillac).

7. Corrigendum esse videtur : *de Bovilla*, gallice *de Beauville* (hodie dép. de la Haute-Garonne, arr. de Villefranche, cant. de Caraman). — Referente autem Guillelmo Furnerii saepe dicto, accepimus, Petrum quemdam de Beuvila in Lombardiam confugisse, atque ibidem, anno circiter 1253, seu Cremonae, apud haereticorum episcopum, Mecer Vivent, seu Placentiae, vixisse. — Vide *Archiv. départ. de la Haute-Garonne*, ibid., ut supra, f° CCI A et B.

8. De eo nihil invenimus. Notandum tamen Ramundum quemdam Durandum consulem Tolosae fuisse, anno 1199. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n° 22.

9. De eo nihil exponendum habemus. Verum, tertio decimo saeculo plures ejusdem nominis, ac proinde, sicut credibile est, ejusdem familiae exstitisse constat. Nempe

queyra [1], filia Bernardi Ramundi, campsoris [2]. Multi de istis fuerunt postea combusti apud Montemsecurum.

De illis etiam qui extra villam erant multos similiter condemnaverunt dicti Fratres, scilicet de Lauraco, Guillelmum de Insula [3], Bernardum de Sancto Martino [4], milites, et Balaguerium [5]. Et isti postea interfuerunt morti Fratrum [6]; sed duo primi combusti fuerunt apud Montemsecurum, tertius tractus fuit et suspensus.

Condemnaverunt etiam Ramundum de Perelha [7], dominum Montissecuri, et Corbam, uxorem

Arnaldum de Pinu in quodam instrumento, anno 1243, memoratum invenimus, una cum Poncio de Pinu, de quo etiam, anno post, in altero instrumento. Praeterea, Willelmus de Pinu, annis 1231 et 1245, ac Bertrandus de Pinu, anno 1243, in quibusdam instrumentis indicati sunt. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 2145, 2997, 3098, 3177; — *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, c. 943.

1. De ea nihil invenimus.

2. Gallice *changeur*. De eo nihil invenimus.

3. Unus e proscriptis (vulgo *faidits*) Montissecuri militibus; a vicecomite Raimundo Trencavelli, anno 1240, quo ille arma adversus regem Franciae movit, colligendo fogagio, circa urbem Carcassonam, in Redesio *(le Razès)*, una cum P. quodam de Fontazellis, praepositus (vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat., VII, c. 351); — praeterea Willelmo-Raimundo atque Jordano de Insula forsitan propinquus, quorum priorem consulem Tolosae, anno 1202, alterum autem, anno 1247, fuisse constat. Vide, Archiv. munic. Tolos., 146, n[is] 39, 103. — De ejusdem matre, nomine *Francisca,* haeresi et ipsa dedita, vide, bibl. Tolos., ms. 155, I[a] serie, f[o] 2 B.

4. Inter proscriptos Montissecuri milites, perinde ac Guillelmus de Insula, numerandus (vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 1154, 1155); cui nomen ab illo loco inditum fuisse videtur olim vocato Sancto Martino de Landa (hodie *Saint-Martin-la-Lande,* dép. de l'Aude, arr. et cant. de Castelnaudary).

5. Miles de Lauraco, Vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII. cc. 1155, 1156.

6. Id est inquisitorum, Avenioneti, anno 1242, trucidatorum; quod quidem, de Guillelmo de Insula et de Balaguerio saltem, non tantum, referente Guillelmo Pelisso, sed etiam aliunde, compertum habemus. Vide nempe, *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 1152, 1154, 1155, 1156.

7. *De Péreille,* (hodie dép. de l'Ariége, arr. de Foix, cant. de Lavelanet); in quodam instrumento, anno 1236, tanquam testis indicatus. Vide *Layettes du Tr.*

ejus, et Arnaldum-Rogerii [1], fratrem dicti Ramundi, et Petrum-Rotgerii de Mirapice [2], dominos de Montesecuro, et Isarnum de Tays [3], de Appamiis, et Peyronetum, de Montmau [4].

Condemnaverunt etiam Ramundum Hunaldi, dominum de Lantario. Guillelmus-Bernardi Hunaldi, pater Jordani [5], qui erat perfectus haereticus, combustus fuit Tolosae. Abbas enim Sancti Saturnini, scilicet Petrus de Malafayra, cepit eum apud Bousquet [6] cum Arnaldo Giffri [7] haeretico,

des Ch., II, 2440. — Cujus quidem filiam, nomine *Esclarmundam*, paulo ante obsessum Montemsecurum, combustam fuisse, ipsumque castro illi adversus copias Raimundi comitis tuendo praefuisse, constat. Vide Schmidt, op. cit., I, 324.

1. Miles de Mirapice (*Mirepoix,* hodie ch.-l. de cant., arr. de Pamiers, dép. de l'Ariége). Hunc caedis inquisitorum participem, anno 1242, deque ea testem, anno 1244, exstitisse accepimus. Vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 1151, 1157.

2. Hic in testimoniis de inquisitorum caede, tanquam illius particeps, saepenumero indicatus est. Vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, ibid., ut supra. Eum quoque inter acerrimos Montissecuri defensores, una cum uxore sua *Philippa,* fuisse compertum habemus. Vide Schmidt, op. cit., I, p. 325.

3. De eo nihil invenimus.

4. Forsitan legendum est *de Montmaur* (hodie dép. de l'Aude, arr. et cant. de Castelnaudary).

5. Hos omnes familia illa oriundos fuisse constat, quae, vernaculo nomine dicta *Unaut* vel *Unautz,* Lantarium (hodie *Lanta)* in ditione sua tenuit, valdeque Albigensium bello adversus Simonem de Monteforti innotuit. — Inter quos, Ramundum Hunaldi, Geraldi Hunaldi filium, forsitan non alium fuisse credibile est ab isto, de quo saepius in poemate vocato *La Chanson de la croisade contre les Albigeois.* Vide, édit. Meyer, I, vers. 8999, 9092, 9519; II, pp. 448, nota 7. — Hunc saltem in duobus instrumentis indicatum reperimus, annis scilicet 1240 et 1243. Vide *Layettes du Tr. des Ch.,* II, 2875, 3079. — Praeterea, quod ad Guillelmum-Bernardi Hunaldi pertinet, haud immerito penitus conjici posse videtur, eum in quodam instrumento, una cum Ramundo praedicto atque ejusdem patre Geraldo, anno circiter 1201, notatum fuisse, nec non in illo poemate, de quo supra mentio facta est. Vide *Layettes du Tr. des Ch.,* I, 623; — *Chanson de la croisade contre les Albigeois,* édit. Meyer, I, vers. 5767, 7190, 7230, 89992, 9092, 9478; II, p. 298, nota 2. — De Jordano autem Hunaldi nihil invenimus.

6. Hodie *Le Bousquet* (dép. de la Haute-Garonne, arr. de Villefranche, cant. de Lanta, commune de Saint-Pierre-de-Lages).

7. De eo nihil invenimus.

qui similiter fuit combustus apud Albiam, quia ibi erat dominus legatus [1], et ideo fuit adductus ad eum. Multi alii fuerunt condemnati per ipsos Fratres inquisitores et per alios eorum successores. Eorum nomina non sunt scripta in *Libro vitae;* sed corpora hic combusta, et animae cruciantur in inferno [2].

Explicit quod scripsit manu sua frater Guillelmus Pelhisso, Tolosanus, qui vidit et interfuit, et tandem obiit Tolosae, in festo Epiphaniae, anno Domini 1268 [3].

Haec autem quae sequuntur [4], quae in diebus illis contigerunt, scripsit ille qui vidit et interfuit in hunc modum [5].

1. Scilicet archiepiscopus Viennensis.

2. Hic non omittendum esse videtur, plurima haereticorum nomina, quae in eo loco Chronici a Guillelmo Pelisso notata sunt, nonnullis quoque sententiis inserta ad nos transiisse. Quae quidem sententiae apud Doat, in tomo XXI°, reperiuntur, nominaque haereticorum continent quae sequuntur, scilicet : Jordani de Villanova, militis, ac Bertrandi de Roaxio (xi° kal. martii, 1237, ff. 149-153); Ramundi Isarni, Joannis Saladis vel Saladini, Ramundae, uxoris Arnaldi de Villanova, atque Alestae, uxoris Embrini (viii° nonas septembris, 1237, ff. 179-180); Ramundi Hunaldi et *Dias,* uxoris Arnaldi Barravi (xiii° kal. octobris, 1237, ff. 183-185); Bernardi de Sancto Martino, Guillelmi de Insula atque Balaguerii (xvi° kal. novembris, 1241, ff. 157-159).

3. Totum illum Chronici locum, a verbis : *Tunc temporis condemnati fuerunt...* (supra, p. 45) ad verba : *Anno Domini 1268...*, paucis mutatis, reperire est apud Percin. Vide nempe *Martyr. Avenion.,* cap. II, 18-24.

4. Hanc Chronici partem, quam nunc aggredimur, in prooemio nostro jam indicavimus, non tantum in Carcassonensi codice, sed etiam apud Doat (t. XXXI°, ff. 29 et seqq.), nec non apud Martène et Durand (*Thes. nov. Anecdot.,* t. I°, cc. 985-987), reperiri posse. Quam quidem ab iis auctoribus, paucis vix discrepantibus, transcriptam fuisse non mirum est, quum narrationem illam Martène et Durand, *ex schedis Colbertinis,* velut ipsi testati sunt, id est ab ipso Doat, sumpserint. Nec sperandum tamen credimus, Carcassonensem codicem inde emendari posse, quoniam ille, etsi omnino vitiosus sit, erroribus quodam modo minus redundare videatur.

5. Hunc Chronici locum, utrique operis parti interpositum, Bernardo Guidonis, si Quétif et Échard assentire placeat, attribuendum esse jam notavimus.

Quod vidimus et audivimus fideli scribimus narratione. Accidit namque, anno Domini 1234, feria quinta post festum Pentecostes, quod frater Arnaldus Cathalani [1], de ordine Praedicatorum, de conventu Tolosano [2], tunc temporis, secundum mandatum domini papae, a priore provinciali ordinis sui in episcopatu Albiensi [3] missus pro inquisitionibus haereticorum faciendis [4], ex officio sibi injuncto processit in hunc modum. Hora tertia praedictae diei, priusquam synodus celebraretur quae tunc instabat, vocavit bajulum curiae domini episcopi Albiensis [5], et praecepit ei ut faceret extumulari quamdam haereticam nomine Boyssenum [6], uxorem quondam Brostaioni haere-
P. 17. tici, sicut in vigilia || Ascensionis Domini transacta, ipse, in presentia curiae [7], ipso scilicet bajulo audiente et multis aliis, sententiaverat [8] contra eos. Sed, cum timerent [9] praedictus bajulus et nuncii sui accedere ad sepulchrum et hoc mandatum dare executioni, idem frater Arnaldus [10], accersi-

1. *Cathalani* deest apud Doat et Mart.
2. *De conventu Tolosano* deest apud Doat et Mart.
3. *In episcopatum Albiensem* apud Doat et Mart.
4. Hunc locum Chronici, a verbis : *Explicit quod scripsit...* ad verba : *pro inquisitionibus haereticorum faciendis...*, retulere Quétif et Échard, in vita Guillelmi Pelisso a se conscripta. Vide *Script. ord. Praedic.*, I, 247.
5. Is fuit Durandus, quem episcopatu, ab anno 1228 ad annum circiter 1254, functum fuisse constat. Vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, IV, pp. 386 et 657 ; — *Gallia Christiana*, I, Ecclesia Albiensis.
6. *Beisseira* apud Doat et Mart.
7. Sic apud Doat et Mart.; habet autem codex : *in plena curia*.
8. *Sententiavimus* apud Doat et Mart.
9. Sic apud Doat et Mart.; *timeret* in codice.
10. *Frater Arnaldus* deest apud Doat et Mart.

tis[1] quibusdam capellanis et aliis multis, perrexit ad ecclesiam Sancti Stephani[2], in cujus cimiterio[3] sepulta erat illa haeretica[4], et, arrepto[5] ligone, primos ictus dedit fodiens in terram[6], et postea praecepit quod nuncii episcopi facerent, et ipse rediit ad ecclesiam ut synodo interesset. Et statim ecce[7] nuncii praedicti veniunt[8] nunciantes ipsi se fuisse expulsos turpiter de sepultura, mandato Pontii Bernardi[9]. Et tunc ipse ivit cum quibusdam capellanis et aliis multis et cum domino Bernardo, capellano domini episcopi; et cum venissent ad locum, ecce filii Belial, vasa iniquitatis bellantia, sicut docti fuerant a patre suo diabolo, minis et contumeliis eos affecerunt.

Inseruntur[10] autem hic eorum nomina, quae non ambigimus de *Libro vitae* esse deleta : Guillelmus de Podio[11], filius Pontii Bernardi, Ramundus Dona-

1. *Accitis* apud Doat et Mart.

2. Vulgo *Saint-Estève;* inter ecclesias parrochiales Albiae tunc numeranda. Quae quidem in ditione capituli ecclesiae cathedralis hujus urbis, id est Sanctae Caeciliae, jam ab anno 1215, per bullam Innocentii tertii, posita fuerat. Vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, IV, pp. 659, 660.

3. *Coemeterio* apud Mart.

4. *Haeretica illa* apud Doat et Mart.

5. *Arrecto* in codice; *accepto* apud Doat et Mart.

6. *Fodit in terra* apud Doat et Mart.

7. *Ecclesia* apud Doat et Mart.

8. *Venerunt* apud Doat et Mart.

9. Hunc Albiae, anno 1228, testem in quadam inquisitione invenimus. (*Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, c. 915.) — Praeterea, Poncium quemdam Bernardi, una cum militibus et nobilibus castri de Causaco (hodie *Cahuzac*, dép. du Tarn, arr. de Castres, cant. de Dourgne) juramentum, anno 1243, praestitisse constat de pace Parisiensi fideliter servanda. Vide *Layettes du Tr. des Ch.*, II, 3061.

10. Sic apud Mart.; *insolvuntur* in codice.

11. Nihil de eo invenimus.— Notandum tamen, Sicardum quemdam de Podio, de Lautrico (hodie *Lautrec*, ch.-l. de cant., arr. de Castres, dép. du Tarn), indicatum

dei[1] et Hugo, frater ejus, Curvalla[2], Guillelmus Montinant, Michael Brotaio, Azemarius Brosa[3], filius Ramundi-Hugonis, Maurinus Amati et Maurinus Guinho, Pontius Caus senior, de Castroveteri[4],

fuisse in confessionibus reorum, Albiae, annis 1299 et 1300, a Bernardo de Castaneto, hujus urbis episcopo, atque ab inquisitore Nicolao de Abbatisvilla receptis. Vide, Bibl. nat., ms. lat. 11847.—Vide etiam de illo codice dissertationem nostram : *L'Inquisition dans le midi de la France*, etc., IIa parte, cap. II.

1. *R. Donadeu* apud Doat; *A. Donadele* apud Mart., sed non recte, ut videtur. De eo nihil invenimus.—Verumtamen, animadvertamus oportet, Arnaldum quemdam Donadei, de Regalimonte, hodie *Réalmont* (ch-l. de cant., arr. d'Albi, dép. du Tarn), in confessionibus, quae supra indicatae sunt, notatum fuisse.

2. Sic apud Doat et Mart.; *Curnalha* in codice, sed prave sine dubio. *Curvalla* cognomen fuisse videtur, a quodam loco sumptum, *Curvale* scilicet (hodie dép. du Tarn. arr. d'Albi, cant. d'Alban). Quod idem fit paulo inferius de *Sesteirol* aut *Sestairol*, hodie *Cestayrols* (dép. du Tarn., arr. et cant. de Gaillac). — Ab illo autem verbo, *Curvalla* videlicet, Doat et Martène horum nominum seriem sic exsequuntur : *G. Montinha, Michael Brocaïon, Ademarius Brossa filius, R. Hugonis, Maurinus Amat, et Maurinus Guinhoni, Pontius Caucii senex de Castroveteri, Isarnus Jacobi, B. Fumeti bonis, Isarnus Bia* (Doat), *Ysarnus Bria* (Mart.), *et frater ejus, G. Botz, G. Rogerii, Johannes Gaugi de Fenassa, Arnaudus Fenassa, Bernardus Fenassa, Aimericus Guinhoni, Bona-terra, Ademarius Frometi, Sestayrol* (Doat), *Sestairol* (Mart.), *Petrus de Miach Vlausach, Petrus Bech, Johannes de Foysech* (Doat), *Foissech* (Mart.), *Johannes de Portu* (Doat), *Porta* (Mart.), *Aimericus geñ d'en Vesselle* (Doat), *Gen d'en vesselle* (Mart.). (*Thes. nov. anecdot.*, I, c. 986, A. B.)

3. Azemarium vel Ademarium Brosam consulem urbis Albiae, anno circiter 1250, fuisse invenimus. (*Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, c. 1310.) — Eumdem quoque *monetarium et magistrum atque emptorem monete Tholosane domini comitis*, anno 1253, exstitisse constat. (Ibid., ut supra, cc. 1319, 1321, et *Layettes du Tr. des Ch.*, III, 4049, 4051.) — Praeterea, Berengarius quidam Brosa, Albiensis, inter reos, de quibus supra locuti sumus, annis scilicet 1299 et 1300, interrogatos indicatus est. Quod quidem notandum est etiam de quinque aliis, quorum nomina subsequuntur, videlicet de Bernardo Fumeti, de Guillelmo, Bernardo et Arnaldo Fenassa, ac tandem de Joanne de Foyssens. Nempe, iisdem annis 1299 et 1300, interrogatos fuisse Albiae reperimus duos fratres, quibus nomen Jacobo et Berengario Fumeti, nec non quemdam G. Fenassam, cognomine Claudum, praetereaque Lambertum quemdam de Foysenx. Quos omnes, Albia oriundos, filios eorum, qui in narratione a nobis nunc excussa memorantur, aut saltem iis propinquos fuisse non dubium est.

4. Pontium Caus in illa inquisitione, de qua supra, anno scilicet 1228, Albiae facta, testem fuisse invenimus. Vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, c. 910.— Eumdem de Castroveteri, gallice *du Castelviel*, sic vocatum fuisse apparet, quia hanc

Isarnus Jacobi, Bernardus Fumeti Bonys [1], Isarnus Bya et frater ejus Guillelmus Bors, Guillelmus Rogerii, Guillelmus Ganach, Guillelmus Fenassa, Bernardus Fenassa, Arnaldus Fenassa [2], Aymericus Guinho Bonaterra, Azemarius Froment Sesteirol, Petrus de Najaco Blausat, Petrus Brot, Joannes de Foyssens [3], Joannes de Ports [4], gener d'en Veselle [5]. Ii praedicti et plures alii [6] cum ad eos [7] usque appropinquassent, primo Guillelmus de Podio [8] manus violentas injecit et dixit : « Exeat is praedicator [9] de civitate ! » At illi qui sequebantur eum, videntes quid acciderat, et ipsi manus in personam praedicti fratris temere injecerunt, et tunc traxerunt ipsum, quidam percutientes eum cum

partem urbis Albiae habitabat, quae nomen illud a castello vicecomitis ibidem aedificato sumpserat. Haec autem inter flumen Tarnum et ecclesiam Sanctae Caeciliae sita est, idemque nomen hactenus servavit.

1. De hoc vocabulo, nec non paulo infra de *Blausat*, nihil invenimus.

2. Hi omnes nomen suum videntur sumpsisse ab illo loco, qui nunc vocatur *Saint-Lieux-la-Fenasse* (dép. du Tarn, arr. et cant. de Lavaur). — De Guillelmo autem et Arnaldo Fenassa notandum est, eos una cum Ademario Brosa, in instrumentis supradictis, tanquam monetarios et magistros monete Tholosane, anno 1253, indicatos fuisse. Praeterea, Arnaldum Fenassam Albiae consulem, Guillelmumque Fenassam ejusdem urbis burgensem, anno circiter 1250, fuisse invenimus. Vide *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 1309, 1310.

3. Albiae burgensis, ut apparet; vide nempe *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, c. 1306. Cui nomen inditum fuisse credibile est ab illo loco hodie dicto *Le Fouyssenc* (dép. du Tarn, arr. et cant. de Lavaur, commune de Saint-Lieux-lès-Lavaur).

4. Latine *de Portu*. — Joannem quemdam de Portu, Scuria oriundum, hodie *Lescure* (dép. du Tarn, arr. et cant. d'Albi), notatum reperimus in testimoniis, annis 1299 et 1300 receptis, de quibus jam non semel a nobis mentio facta est.

5. Latine *Vassali*.— R. quemdam Vassali, filium quondam Petri Vassali, militis, Scuria et ipsum oriundum, in iisdem testimoniis jam saepe dictis invenimus

6. *Alii plures* apud Doat et Mart.

7. Sic apud Doat et Mart.; *nos* in codice.

8. *G. del Pueg* apud Doat.; *G. del Pileg* apud Mart.

9. *Exeat proditor* apud Doat et Mart.

pugnis in pectore, quidam alapas dederunt in facie [1]; alii trahebant illum per capucium, alii scindebant capam, sicut postea multis diebus [2] apparuit. Proh dolor! si videretis [3] quomodo, quidam ante, quidam retro, percutiebant. Alii vero volebant ipsum mittere in operatoriis, ut eumdem [4] jugularent.

Ipse vero videns quod futurum erat, expansis manibus in coelum, clamavit alta voce : « Benedictus sit Dominus noster Jesus Christus! » et : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe. » Dixit
p. 18. autem illis qui eum percutiebant || et trahebant ad mortem : « Dominus vobis parcat! » Magnaque multitudo populi sequebatur eos clamans et dicens : « Tolle, tolle de terra ejusmodi [5], quia non est fas eum vivere. » Cumque sic clamantes, percutientes et trahentes ipsum, transissent primum vicum, pervenientes ad secundum qui vergebat ad flumen [6] quod dicitur Tarnus, et cum aliquantulum processissent ultra [7], supervenerunt quidam, qui eum de manibus eorum eripuerunt. Cumque se vidisset solutum, et desiissent a verberatione, rediit ad locum sepulturae, et inde transiens pervenit usque ad ecclesiam Sanctae Caeciliae.

1. *Faciem* apud Doat et Mart.
2. Sic in codice; *sicut praedictis diebus* apud Doat et Mart.
3. *Vidissetis* apud Doat et Mart.
4. *Eum* apud Doat et Mart.
5. *Hujusmodi* apud Doat et Mart.
6. *Fluvium* apud Doat et Mart.
7. *Ultra* deest apud Doat et Mart.

Isarnus vero, capellanus de Denato [1], cum vidisset eum sic trahi ad mortem, secutus est eum ut videret finem. At [2] illi tenuerunt eum [3], et sicut fratrem praedictum verberibus et contumeliis affecerunt, et vestimenta ejus sciderunt. Quanta [4] subsannatio infidelium ! Cum transirent per vicos, redeuntes ad ecclesiam Sanctae Caeciliae, quidam clamabant : « Moriantur proditores ! » Alii dicebant : « Quare non scinditur caput illius proditoris, et mittatur in saccum, ut projiciatur in Tarnum? » Plures quam ducenti vel trecenti, qui ibi aderant, omnes in hanc sententiam concordabant, et, nedum dicatur de illis pro certo, asserebant [5] quod tota civitas eisdem vocibus clamabat [6].

Itaque, cum venisset ad ecclesiam cathedralem [7] dictus frater Arnaldus, praesente episcopo et populo et clero, villam protinus excommunicavit [8]. Tunc quidam eorum poenitentia [9] primo ducti, pro se et pro populo satisfacere promiserunt, et hoc juraverunt in manu [10] episcopi, quod super [11] hoc facto omnino starent cogni-

1. *Denaco* apud Doat et Mart., sed prave. Denatum hodie vocatur *Denat* (dép. du Tarn, arr. d'Albi, cant. de Réalmont).

2. *Ac* apud Doat et Mart.

3. *Ipsum* apud Doat et Mart.

4. *O* ante *quanta* additum est apud Doat et Mart.

5. Sic in codice; quod parum lucidum esse non diffitemur. *Asserebat*, sed non recte, ut videtur, apud Doat et Mart.

6. *Acclamabat* apud Doat et Mart.

7. *Cum ad ecclesiam cathedralem venisset* apud Doat et Mart.

8. *Excommunicavi* apud Doat et Mart.

9. *Poenitentia* deest in codice.

10. *Manus* apud Doat et Mart.

11. Sic apud Doat et Mart.; *similiter* in codice, sed non recte.

tioni ejusdem, et rogaverunt praedictum fratrem Arnaldum [1], quod dimitteret eis hanc injuriam. Et ipse respondit quod injuriam personae suae libentissime dimittebat, quantum poterat et quantum debebat; injuriam autem universitatis Ecclesiae et domini papae non poterat, nec dimittebat; et sic, ad [2] instantiam domini episcopi et omnium qui aderant, sententiam quam tulerat relaxavit.

Ejus rei sunt testes [3], Bernardus, capellanus domini episcopi Albiensis, Petrus Guiraudi, sacerdos et notarius civitatis Albiae, Robertus, capellanus de Freiayrolas [4], Deodatus, capellanus et [5] capiscol de Castris, Petrus Salomonis, capellanus de Bouysseson [6], Guillelmus, capellanus de Montepinerio [7], Ramundus, capellanus de Sancto Africano [8], Pe-

1. *Arnaldum* deest apud Doat et Mart.

2. Sic apud Doat et Mart.; *hanc* in codice.

3. Hunc codicis locum, qui sequitur, etsi omnino vitiatum, nihilominus de verbo ad verbum referendum esse arbitrati sumus. Eumdem quoque, ut est a Doat et Martène transcriptus, simul exponere decrevimus. Sic, omnibus inter se compositis, illum fortasse in meliorem formam redigere licebit. *Hujus rei testes sunt B. capellanus domini Albiensis episcopi* (Doat), *capellanus episcopi* (Mart.), *Petrus Guiraudi sacerdos et notarius civitatis Albiae, Robertus capellanus de Freraylolas, Deodatus capellanus Tarabuz* (Doat), *Taraburz* (Mart.), *Bernardus praecentor de Castris, Petrus Salomonis capellanus de Boyssazo* (Doat), *Boissazo* (Mart.), *Guillelmus capellanus de Monte-primerio, Raimundus de Sancto Africano capellanus, Petrus de Fraxino rector ecclesiae de Senegas, magister Petrus de Viliers, Henricus clericus et Gallicus Cadere clericus, Bernardus Megerii, Petrus Belfort, et Isarnus capellanus de Denato qui socius fuit in tribulatione.* (*Thes. nov. anecdot.*, I, c. 987, B, C.)

4. Hodie *Fréjairolles* (dép. du Tarn., arr. et cant. d'Albi).

5. *De* in codice.

6. *Boissezon, Boyssazo, Boxazo, Boisedonum,* hodie *Boissezon* (dép. du Tarn, arr. de Castres, cant. de Mazamet).

7. Hodie *Montpinier* (dép. du Tarn, arr. de Castres, cant. de Lautrec).

8. Hodie *Saint-Affrique* (ch.-l. d'arr., dép. de l'Aveyron), vel potius *Saint-Affrique-les-Montagnes* (dép. du Tarn, arr. de Castres, cant. de Labruguière).

trus || de Fraxino [1], rector ecclesiae de Senegas [2], magister Petrus de Vilhers, Henricus, clericus gallicus, Guillelmus Couderc, Bernardus Rotger, Petrus Pelfort [3] et Isarnus, capellanus de Denato, qui fuit socius in tribulatione [4]. Explicit [5]. P. 19.

1. Forsitan sic vocatus a loco hodie dicto *Fraisse* (dép. du Tarn, arr. d'Albi, cant. de Villefranche, commune d'Ambialet).

2. Hodie *Senegats* (dép. du Tarn, arr. de Castres, cant. de Vabre, commune de Saint-Pierre de Trévisy).

3. Forsitan familia dominorum Rapistagni (*Rabastens*, ch.-l. de cant., arr. de Gaillac, dép. du Tarn) oriundus, quibus vernaculum nomen *Pelfort* fuit (latine *Pilusfortis* vel *Pilisfortis*). De ea familia vide passim, Archiv. munic. Tolos., 146; — *Layettes du Tr. des Ch.*, I et II; — *Chanson de la croisade contre les Albigeois*, édit. Meyer.

4. Hic concludendo non omittendum esse videtur, rem, quae in illa posteriore Chronici parte narrata est, a Percin, multis ab ipso Chronico usurpatis, saepiusque de verbo ad verbum transcriptis, expositam fuisse. Vide nempe *Monum.*, pp. 48, 49, nº 16.

5. *Explicit* deest apud Doat et Mart.

Vidi ac perlegi

Lutetiæ Paris. in Sorbona a. d. VI kal. mart. an. MDCCCLXXX. Facult. Litter. in Acad. Paris. decanus.

H. WALLON.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis rector.

GRÉARD.

TABULA ALPHABETICA

NOMINUM ET LOCORUM

QUAE IN CHRONICO GUILLELMI PELISSO REPERIUNTUR

INDEX RERUM ET CAPITUM

CAPUT I

CAPUT II

EMENDANDA ET ADDENDA

P. vi, lin. 18 : quos quidem Guillelmo Pelisso; *lege :* quos quidem, Guillelmo Pelisso.

P. viii, nota 2, lin. 5 a fine : vulgare mhanc; *lege :* vulgarem hanc.

Ibid., lin. paenultima : *magistrum Arnaldum Pelisson; lege : magistrum Arnaldum Pellisson.*

P. xi, nota 2, lin. 2 : cap. III ; *lege :* cap. IV.

P. xviii, nota 2, lin. ultima, *post :* cap. II, nº 24, *adde :* Quidquid est, auctoris nostri opusculum, etsi de hac re nullomodo praecise dijudicari potest, non ante captum Montemsecurum, id est ante annum 1244, compositum fuisse satis constat. Vide nempe *Chron.*, cod. p. 16.

P. xxxv, lin. 11 : anno 1239; *lege :* anno 1229.

P. lvii, lin. 5 : fraterque de Sancto Tiberio; *lege :* fraterque Stephanus de Sancto Tiberio.

P. lviii, nota 1, lin. 3 : multos inter Carcassonam et Tolosam locos; *lege :* multos inter Carcassonam et Tolosam vicos.

P. 3, lin. 1 : Frater Guillelmus Pelhisso de Tolosa; *lege :* Frater Guillelmus Pelhisso, de Tolosa.

P. 4, lin. paenultima : Tholosano episcopo, felicis recordationis adjuvante; *lege :* Tholosano episcopo felicis recordationis, adjuvante.

P. 7, lin. 3 : a Bernardo Raimundi 1229; *lege :* a Bernardo Raimundi, 1229.

P. 29, nota 1, lin. 1 : *de Frichaus*; *lege potius : de Frichans*. Vide nempe *Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, *Index onomasticus*, c. 2092.

P. 30, nota 1, lin. 16 : anno 1220, 1234. *lege :* annis 1220, 1234.

P. 32, nota 1, lin. 4 a fine : (Vide, bibl. Tolos., Ia serie, ms. 91, f° 28 D; ms. 273, f° 118 B.); *lege :* (Vide, bibl. Tolos., ms. 273, Ia serie, f° 118 B; ms. 91, IIa serie, f° 28 D.)

P. 36, nota 1, lin. paenultima : annis 1235; *lege :* anno 1235.

P. 46, nota 5, lin. 7 : praedicti Jordani generum; *lege :* praedicti Jordani filium.

P. 48, nota 2, lin. 3 : *Hist. de Lang.*, édit. Privat, cc. 356; *lege: Hist. de Lang.*, édit. Privat, VIII, cc. 356.

Anicii, typis Marchessou fratrum.



